FR. ANDREÆ SGAMBATI

ORDINIS MINORUM

S. FRANCISCI CONVENTUALIUM

OPUS

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS.

TOMUS NONUS

COMPLECTENS

LIBROS DE DOMINICA INCARNATIONE.



NEAPOLI

ANNO MDCCLXXX.

EX TYPOGRAPHIA FRATRUM PACI.

SUPERIORUM FACULTATE.

FRANCISCO

VARGAS MACCIUCCA

VATULLÆ MARCHIONI, EQUITI HIEROSOLYMITANO, EX QUINQUEVIRIS REGALIS CAMERÆ S. CLARÆ DECANO; REGIÆ JURISDICTIONIS VINDICI &c. &c.

F. ANDREAS SGAMBATI

Opus hocce ſuum

NUNCUPAT, CONSECRATQUE.

QUod ingentibus olim votis optavi, tota animi devotione nunc exequor, Ampliſſimoque Nomini Tuo, VIR PRÆCLARISSIME, nonum iſtud Theo-

logicarum Lucubrationum volumen inſcriptum publicam in lucem emitto, ut opus, quod ex ſeſe laudem mereri non poteſt, ab Optimo, Sapientiſſimo, Incomparabili Mecœnate præſidium ſibi omne, decuſque fortunatiſſime mutuetur. Tu enim egregio inſtructus ingenio ab ipſis infantiæ rudimentis diligentiam omnem, omnemque induſtriam contuliſti, ut exemplo tot Illuſtrium Majorum Tuorum inſiſtens, ac ſub diſciplina graviſſimi, doctiſſimique, & de Republica optime meriti Parentis Tui THOMÆ, politiores, penitioreſque Tibi ſcientias abſolu-

lutiſſime comparares; eamque præſertim Juriſprudentiam ſtudioſus excoleres, quæ ad Rempublicam rite ſancteque adminiſtrandam neceſſaria eſt, & ex puriſſimis juris naturæ ac gentium, patriarumque legum fontibus hauritur. In luſtrandis etiam Patrum ſententiis, Conciliorum & Pontificum ſanctionibus, veterum Chriſtianorum ritibus, in enucleandis denique Eccleſiæ faſtis tantam navaſti operam, ut in juventutis flore Optimi Oratoris partes expleveris, typiſque non pauca eruditionis doctrinæque tuæ ſpecimina Cl. Virorum commendatione, & admira-

tione tradideris. Merito itaque contigiſſe dicendum eſt, ut a CAROLO III. Glorioſiſſimo nunc Hiſpaniarum, tunc utriuſque Siciliæ Rege, Generali Jurium Dohanalium Adminiſtro fueris deſtinatus Aſſeſſor, moxque inter civilium cauſarum Magnæ Curiæ Vicariæ Judices cooptatus, ac quadrimeſtri ſpatio nondum exacto, inter Regiæ Cameræ Summæ Rei Præſides recenſitus, ibique dum & Fiſci Patronum ageres, a FERDINANDO IV. Invictiſſimo Rege noſtro ad Aularum Sacri Conſilii Præfecturam, & Regalis Cameræ S. Claræ Quinqueviratum eve-

evectus, una cum Annonæ Præfectura in ſumma rei frumentariæ caritate, Regiæque Juriſdictionis Delegatione commiſſa, quam profecto provinciam a decem & octo annis non ſine perſpecta integritate, æquitate, prudentia moderaris. At vereor, ne hæc, etſi veriſſima, inviſa ſummæ modeſtiæ Tuæ evadat oratio, qui laudes meruiſſe mavis, quam laudibus exornari. Habe igitur quæſo Tibi, SENATOR AMPLISSIME, munus iſtud, qualecunque tandem illud ſit, in æternum meæ obſervantiæ, exiſtimationis, gratique animi argumentum; & quem

ſumma benignitate ac comitate affari ſæpe dignaris, potenti patrocinio tuo fove, rege, tuere. Ad plures annos pro Tuorum, totiuſque Reipublicæ bono Te Deus, VIR ORNATISSIME, ſoſpitet, fortunetque.

IN-

INDEX

LIBER XVIII.

IN quo de Dominicæ Incarnationis existentia disputatur. pag. 1.

CAPUT I.

Ex Jacobi vaticinio Gen. c. 49. v. 10. invicte probatur adveniſſe Meſſiam. 2

CAPUT II.

Ex vaticinio Danielis c. 9. Meſſiæ adventus oſtenditur. 19

CAPUT III.

Ex aliis Scripturæ textibus Judæorum perfidia confutatur. 34

CA-

CAPUT IV.

Quod Jesus Nazarenus sit Messias in lege promissus. 43

CAPUT V.

Ubi contra Gentiles Incarnationis mysterium propugnatur. 53

CAPUT VI.

Ubi dubia pleraque ad hunc librum spectantia breviter declarantur. 62

LIBER XIX.

Agit de humana natura, ejusque partibus, quas Dei Verbum assumpsit. 81

CAPUT I.

Quod Dei Verbum carnem assumpserit non phantasticam, sed veram, & ex Ma-

Maria Virgine procreatam. 82

CAPUT II.

Ubi quædam circa Christi corpus dubia paucis ensolvuntur. 29

CAPUT III.

In quo de perpetua Dei Genitricis Virginitate disseritur. 103

CAPUT IV.

Quod Dei Verbum humanam animam, mentemque susceperit. 111

CAPUT V.

De scientia qua Christi Anima ditata refulsit. 116

CA-

CAPUT VI.

De duplici in Christo voluntate, & operatione. 129

CAPUT VII.

In quo de Christi sanctitate, impeccabilitate, & libertate disseritur. 139

CAPUT VIII.

In quo Nestoriana hæresis impugnatur. 152

CAPUT IX.

Quod Maria Virgo recte Θεοτόκος, *sive Deipara nuncupetur.* 167

CAPUT X.

In quo stultus Eutychetis error explauditur. 174

CA-

CAPUT XI.

Ubi de communicatione idiomatum in Christo differitur. 183

CAPUT XII.

Num Christus dici possit Dei Filius adoptivus? 199

CAPUT XIII.

In quo de quibusdam Christi titulis officiisque tractatur. 212

LIBER XX.

In quo de Christi satisfactione, & merito disputatur. 230

CAPUT I.

Ubi probatur, Christum vere proprieque pro nobis divinæ satisfeciſſe justitiæ.

tiæ. 221

CAPUT II.

Ubi de perfectione satisfactionis Christi disseritur. 236

CAPUT III.

An pura creatura possit Deo satisfacere de condigno? 244

CAPUT IV.

Ad omnes singulosque homines copiosam Christi redemptionem pertinere demonstrat. 253

CAPUT V.

In quo de Christi merito agitur. 262

FINIS.

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS

LIBER XVIII.

In quo de Dominicæ Incarnationis exiſtentia diſputatur.

Poſtquam de gratia Chriſti tractavimus, recto nunc ordine conſiderandum opus illud aggredimur, quod in humanum genus eandem gratiam derivavit. Hoc autem opus eſt Incarnatio Verbi Dei, totaque ejus in carne diſpenſatio, quam Græci οἰκονομίαν appellant. Cum vero in qualibet diſputatione primum de ipſa rei exiſtentia diſferatur; idcirco adveniſſe Meſſiam, ipſumque eſſe Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum in hoc priori libro contra Judæorum, Gentiumque perfidiam oſtendemus.

CAPUT I.

Ex Jacobi vaticinio Gen. c. 49. v. 10. invicte probatur adveniſſe Meſſiam.

JAcob morti proximus filios ſuos Gen. c. 49. vocavit, ut eis ventura prædiceret; cumque veniſſet ad Judam, hæc inter alia dixit v. 10. *Non auferetur ſceptrum de Juda, & dux de femore ejus, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Quibus profecto verbis contra pervicaces Hebræos evidenter oſtenditur, adveniſſe Meſſiam in lege promiſſum. Ibi enim Patriarcha prænunciat, quod Princeps, ac Legislator non ſit auferendus a Juda; id eſt, aut de Tribu Juda, ut nonnulli exponunt; aut de tota Judaica gente, ut placet aliis; quoaduſque veniat Meſſias, expectatus, ſive deſideratus a Gentibus: atqui jam a plurimis annis Princeps ille, ac Legislator in Juda ceſſavit: ergo jam extunc Meſſias advenit. Hæc autem ex objectorum ſolutione robur lucemque recipient.

Et primo quidem Judæi reſpondent, quod particula שבט *Scevet*, quæ a Latino Interprete *Sceptrum* vertitur, *Virgam* ſignificet; ſicut etiam Pagninus, & alii reddiderunt: poteſt igitur textus de virga afflictionis intelligi, ita ut iſte ſit ſenſus: Non recedet a Judæis Tyrannorum poteſtas, graviſque calamitas, quoaduſque Meſſias veniat, pacificus Dominator. At Ju-

Judæi ſub afflictionis virga ad hæc uſque tempora lacrymantur. Non ergo adhuc Liberator Meſſias advenit.

Sed nunquam particula illa *Scevet* ſi ſolitaria ſit, & abſque adjuncto epitheto, afflictionem, & tyrannicum deſignat imperium; ſed tantum ubi cum adjuncto ponitur, quo furor, & indignatio exprimatur; ut legitur Pſal. 2. v. 9. & Iſaiæ 10. v 5. & alibi. Deinde in textu Geneſeos *Scevet* jungitur cum *Umechokek*, quæ vox *Ducem* ſignificat; additurque, *de femore ejus*, ut pateat, ſenſum eſſe de virga principatus, quem tamen non tenebit Dominator exterus, & Tyrannus. Et ſane quæcumque ibi Judæ promittuntur ſauſtiſſima ſunt; laus nempe fratrum, victoria inimicorum, agrorum fertilitas, vindemiarum ubertas: perperam ergo infauſtum aliquid prænunciari confingitur. Accedit huc inſuper, quod Judæi a Davide ad Sedeciam, & poſt ſolutam captivitatem uſque ad Herodem ſub tyrannici dominatus virga non fuerint; non ergo prædixit Jacob, quod illorum ſervitus, & vexatio ad Meſſiam uſque perſiſteret. Poſtremo veteres Rabbini omnes, ipſumque Talmud *Scevet* pro virga dominationis accipiunt; & Chaldæus pro *Scevet* legit, *faciens poteſtatem*.

Ajunt 2., prophetici oraculi ſenſum hunc eſſe, quod poſtquam Meſſias advenerit, conſtans ac perpetuum erit ſceptrum in Juda. Nam particula *donec* non ſemper ceſſationem rei, finemque ſignificat, ſed quandoque continuationem ejus oſtendit; ut patet ex Gen. 8. v. 7. ubi de corvo legitur: *Non revertebatur, donec ſiccarentur aquæ*; id eſt, neque poſt ſiccatas aquas reverſus eſt corvus. Ita & Matth.

1. v. 25. de Joſeph, & Maria dicitur: *Non cognoſcebat eam, donec peperit filium ſuum primogenitum*. Quo ſane teſtimonio non indicatur, quod Joſeph ad Mariam poſt partum acceſſerit, cum illa perpetua Virgo permanſerit. Ergo ſimiliter in vaticinio Jacob particula *donec* non ſignificat tunc venturum eſſe Meſſiam, cum ſceptrum de Juda defecerit; ſed nunquam auferendum a Juda ſceptrum, poſtquam Meſſias advenerit, cujus regnum in Scripturis ſempiternum fore prædicitur. At ejuſcemodi regnum nondum obtinuere Judæi: recte igitur illi Meſſiæ præſtolantur adventum.

Verum etſi quandoque illud *donec* rei continuationem denotet, frequentius tamen ceſſationem, finemque ſignificat. Lege Gen. c. 3. v. 19. & c. 26. v. 13., & Levit. c. 12. v. 4. & c. 22. v 4., & Judicum 4. v. 24. &c. Quod autem in vaticinio Jacob particula *donec* Judaici regni ceſſationem, finemque demonſtret, vel ex eo maxime comprobatur, quod juxta mentem veterum etiam Judæorum, Jacob ibi ſignum oſtendit, quo Meſſiæ dignoſcatur adventus: atqui poſita illa recentiorum Judæorum interpretatione, falſum id eſſet, cum Jacob nullum determinatum tempus pro futuro Meſſiæ adventu monſtraſſet. Deinde antiqui Judæi tam pro certo putarunt, tunc venturum fore Meſſiam, cum ſceptrum de Juda deficeret, ut cum illud in Herode jam defeciſſe vidiſſent, alii Herodem ipſum, alii Joannem Baptiſtam, alii Veſpaſianum, alii alium, Meſſiam eſſe crediderint. Fruſtra denique Judæi perpetuum quoddam terrenum Imperium a Meſſia inſtaurandum expectant; cum huic ſpiritale, alteriuſque gene-

generis regnum fuerit repromiſſum, uti præſertim apparet ex Dan. c. 9. vv. 24. & 26.

Reponunt 3. quòd verbum יבא *Jabo* non ſignificet *veniat*, uti communiter redditur, ſed *deſtruatur*: & quod Latinus vertit, *Qui mittendus eſt*, Hebræus habet שילה *Silo*: ſenſus igitur iſte erit: *Non auferetur ſceptrum de Juda, uſque dum deſtruatur urbs Silo*; aut: *Transferetur ſceptrum in Juda, poſtquam Silo vaſtabitur*. Non ergo Jacobi vaticinium pertinet ad Meſſiam.

At verbum בוא *Bo* nullibi pro *devaſtari*, aut *everti* legitur uſurpatum. Deinde Silo quando urbem ſignificat, pro ultima conſonante non habet ה *he*, uti ſcribitur in textu Geneſeos, ſed habet ו *vau*; uti præſertim patet ex Pſal. 78. v. 61. Præterea urbs Silo permanſit etiam poſt Babylonicam captivitatem, ut liquet ex Jerem. c. 41. v. 5. Poſtremo ante dirutam urbem Silo regnarunt David, ejuſque poſteri, & poſt ſolutam quoque captivitatem ad Herodem uſque Duces alii imperarunt.

Objectant 4., quod particula *Silo* ad ſignificandum Meſſiam fruſtra detorqueatur, cum pluribus aliis potiori jure conveniat. Ac primo quidem poteſt Moyſen deſignare, quem Hebræorum Ducem, ac Legislatorem fuiſſe non ignoramus. Competit & Sauli, qui omnium primus regiam dignitatem obtinuit, cum in Silo Arca, & ſacrum oleum ſervaretur. Quadrat & Davidi, qui parvulus filius de Tribu Juda, & minimus natorum Iſai fuit: nonnulli enim illud *Silo* verterunt *filium ejus*, *aut parvulum filiorum ejus*. Demonſtrat etiam Jeroboamum, a quo decem Tribus a regno Sa-

lomonis diſciſſæ fuerunt; quod 3. libro Regum 11. 19. prædixit Ahias *Silonites* ſcindens in 12. partes pallium ſuum. Explicari denique poteſt prophetia de externis Regibus, qui ad Judæorum ſcelera punienda ſunt miſſi; quales profecto fuerunt Nabuchodonoſor, Pompejus, Herodes, & Veſpaſianus.

Reſp. quod per vocabulum *Silo* non niſi Meſſiam ſignificari vel ipſa probet Rabbinorum antiqua conſenſio, quam pervicaces Hebræi legere poterunt apud Targum, Onkelon, Jeroſolymitanum, Talmudiſtas, Maſorethas, & Gematricæ Cabbalæ Auctores. Neque poteſt *Silo* Moyſen deſignare; nam ille non eſt de femore Judæ, ſed Levi. Tum quia ante Moyſen nulla fuit penes Judæ Tribum ſceptri auctoritas, vel poteſtas. Deinde Jacob non principium dominationis, ſed ablationem terminumque prædixit. Poſtremo ab illo prænunciata ſunt, quæ compleri debebant *in noviſſimis diebus*, & exitum de Ægypto non ſolius Tribus Judæ, ſed Hebræorum omnium jam Deus Abrahamo prædixerat Gen. 15. 14.

Neque ulla ratione *Silo* poteſt Sauli competere, 1. quia ante Saulem non fuit ſceptrum in Tribu Juda, ſed ab ipſo Saule pertranſiit in Davidem. 2. quia Sauli a Deo, a ſuis, a gentibus reprobato convenire non poteſt illuſtre illud agnomen, *Expectatio gentium*. 3. Saul non in Silo, ſed in Ramatha inunctus fuit in Regem, ut legitur 1. Regum 10. v. 1. Tandem tempore unctionis Saul viri Cariathiarim Arcam Domini aſportaverant in domum Abinadab in Gabaa 1. Regum 7. v. 1.

Denique in Davide ſceptrum tranſiit ad Tribum

bum Juda, non inde divulſum eſt. Jeroboamus autem Judæ ſceptrum non abſtulit, ſed diminuit; neque in *Silo*, ſed in *Sichem* unctionem Regis accepit; ut patet ex 3. Regum 12. 1. Ineptiſſimum præterea eſt *Silo* ſcriptum per ultimam literam ה *he* pro viro *Silonite* accipere, ut ſuperius dictum eſt. Ceteri vero neque *de femore Judæ*, neque *expectatio gentium*, dici poſſunt: ac inſuper per Nabuchodonoſor ſceptrum de Juda non fuit ablatum, quemadmodum nec per Pompejum, qui devicto Ariſtobulo Hircanum regem conſtituit, neque Magiſtratuum jura delevit. Imperante autem Veſpaſiano, & ſub Herode defecit quidem ſceptrum; at tunc Meſſias advenit.

Reponunt 5. Voces iliæ ex Hebræo textu יקהת עמים, *Ichead Hhammim*, quas Latini reddiderunt *Expectatio gentium*, *oppreſſionem* gentium, *contuſionemque* ſignificent. *Ichead* enim a verbo *Chaba* deducitur, quod *obſtupeſcere*, & *contundere* denotat. Senſus ergo erit, quod gentes omnes evertendæ, ac conterendæ ſint adveniente Meſſia: id autem nondum completum apparet: Meſſias igitur nondum advenit.

Reſp. quod litera *Jod* clare demonſtret, derivatam eſſe vocem יקהת *Ichead* a verbo *Jacha*, quod eſt *audire* & *obedientiam præſtare*; unde nulla extat Verſio, quæ vocem illam *Ichead* non expreſſerit per hanc aliam *expectatio*, vel *aggregatio*, vel *obedientia*. Hinc legit Onkelos: *Et illi obedient populi*. Et in Bereſcith Rabba, ſive magna Expoſitione Geneſeos ſic habetur: *Futurum eſt, ut gentes ſæculi deferant munera Meſſiæ filio David*. Cum denique de ablatione ſceptri Judaici ſermo fiat, enuncia-

rentur ſane pugnantia, ſi *Ichead oppreſſionem* gentium, & non potius earundem *aggregationem* oſtenderet.

At urgent. Etſi *Ichead* obedientiam ſignificare dicatur, *Hbammim* tamen non Gentes denotat, ſed Judæos, Expectandus eſt itaque Rex, ad quem Hebræi omnes confluentes felicissimo regno fruantur.

Reſp. Judæos unum populum eſſe, non plures; adeoque non pluraliter illi *Hbammim*, ſed ם *Hbam* ſingulari numero appellantur. Neque cum ablatione ſceptri conſtare poteſt Tribuum aggregatio, & majeſtatis auſpicium.

Opponunt 6. Tempore Babylonicæ captivitatis ſceptrum a Tribu Juda receſſit, & poſt captivitatem uſque ad Herodem Machabæi reguarunt, qui ad Tribum Leviticam pertinebant; nec tamen Chriſtiani credunt eo tempore advenisſe Meſſiam. Non ergo prænunciatio Jacob certum præbet hujuſce adventus indicium.

Reſp. quod captivitatis tempore non ſolum Evilmerodach iterum Regem Joachin ad thronum evexit, ut habetur Regum lib. 4. c. 25., nec ſolum dum Joachim in carcere tenebatur, conſtitutus fuit ſuper Judam & Jeruſalem a Nabuchodonoſore Sedecias Joachimi patruus, uti legitur in 2. Paralip. c. 36., ex quo imminutum tunc quidem fuiſſe, non ablatum Judæ ſceptrum evidenter apparet: verum etiam tam in captivitate, quam ea ſoluta habuerunt Hebræi Legislatorem, ſive Æchmalotarcham, & Synhedrii Principem, quem de Tribu Juda fuiſſe, & in eo perſtitiſſe Judæ ſceptrum vel ipſi Rabbini conſentiunt. Hinc in Chronico, quod inſcribitur *Sepher Olam*, ita legitur: *In templo ſecundo hæc*

fuit

fuit consuetudo, ut Rex ex familia Hasmonæorum, & servis eorum filiis Herodis educeret & reduceret exercitum, curaretque omnia, quæ ad regnum pertinerent. Verum quæ ad legem spectabant statuta ac judicia ad os, seu mandatum Principis de domo David fuere facta. Eadem quoque scribit R. Zemach. Et in Talmud Cod. Sanhedrim ita exponitur Prophetia: *Non recedet Virga ex Juda: Hi sunt Capita captivitatis, ideſt, qui sunt in Babylone, & regunt Israelem virga. Et Legislator de inter pedes ejus: Hi sunt filii filiorum Hillel, qui multos docent legem.* Similis quoque expositio traditur in Bereschith Rabba.

Ex dictis apparet, Jacobæum oraculum intelligendum non esse de Principe, qui semper Rex fuerit, & arma tractaverit; sed de Synhedrii, & Scribarum Præside, qui Legislatoris fungebatur officio. Hebraica enim vox *Umechokek*, Latine *Dux*, juxta Rab. Salomonem significat *Magnum Principem leges præscribentem*, & juxta Onkelon *Saphram*, ideſt, *Scribarum Magistrum*, vel *Doctorem*. Huic autem interpretationi tum illud favet, quod radicalis *Chakak*, unde participium *Umechokek* fluit, idem denotat, ac *præscribere*, *ordinare*, *decernere*; tum etiam quod Judicum 5. v. 15. Mechokekim, *Duces*, appellantur *Scribæ* Issachar. Id autem ut planum fiat adverte, quod Moysi Dominus Num. 11. 16. præceperit, ut congregaret *septuaginta viros de senibus Israel*, quibus judicandi potestas, & populi regimen commissum est: cœtum istum posteriores Judæi Græco vocabulo Synhedrion appellarunt. Cum autem Deut. 17. v. 9. fiat mentio Sacerdotis, & Judicis, duos Magistratus institutos esse colligitur,

Ec-

Eccleſiaſticum unum, politicum alterum : horum primum dixere Synagogam, ſecundum vero Synedrion. Lege etiam 2. Paralip. 19. v. 10. & 11. Præfuiſſe autem Synagogæ Principem Sacerdotum ex Tribu Levi, in dubium revocari non poteſt. Synedrio præſidem fuiſſe ex Tribu Juda, non ſolum patet ex Rabbinorum conſenſu, quos omnes nemo ſibi facile perſuadere poteſt in ſui perniciem tam ſplendide fuiſſe mentitos; verum etiam ex eo probatur, quod Patres aſſerant uſque ad Chriſtum permanſiſſe ſceptrum apud poſteros David ; quod niſi de Synhedrii Principe accipiatur, oppido falſum erit. Hinc Epiphanius H. 29. n. 3. ſcribit : *Davidica ſedes perpetua ſucceſſione ad Chriſtum uſque permanſit, cum nullo unquam tempore de Judæ tribu Principes deſiiſſent, donec ille venit, cui repoſita erant. Et ipſe*, inquit, *expectatio gentium*.

Principis vero Synhedrii ampliſſima fuit auctoritas, ita nimirum ut apud Joſeph Ben-Gorion lib. 5. c. 4. & Joſephum Antiq. 14. c. 9. alias 17. referatur oratio R. Sameæ Principis Synhedrii, qui Herodem cædis accuſatum ad dicendam cauſam coram Hircano coegit. Ex qua oratione deducitur, Synhedrium in judiciis etiam capitalibus majorem auctoritatem habuiſſe, quam Regem.

Quod tandem ejuſcemodi Princeps non niſi ſub adventum Chriſti defecerit, probatur ex eo etiam, quod in Bereſcith Rabba legatur: *Quid eſt*, Non recedet ſceptrum de Juda? *Hoc plane ſibi vendicat, quod non eſt conceſſum Sanhedrim poteſtas judicandi judicia, niſi omni tempore, quo ſedebant in camera dolata. Cum enim migraverunt inde ad locum alium, ceſſaverunt judicia animarum, ſicut ſcriptum eſt Deut. 17. v. 10.* Migratio vero illa Synhedrii contigit

anno

anno ante Templi excidium quadrageſimo juxta Talmud Jeroſolymitanum; quod Petrus Galatinus lib. 4. c. 6. ex communi Rabbinorum traditione confirmat. Item in Codice Jotta habetur ſceptrum & honorem legis ceſſaſſe ſub Gamaliele, quem Julius Bartholaccius in tomo 1. Bibliothecæ Rabbinicæ obiiſſe demonſtrat anno 18. ante Jeroſolymitanum excidium. Et ne tandem iſta ad fabulas amandentur; certum eſt ex Joſepho loco ſuperius citato, atque ex Hiſtoricis aliis fide digniſſimis, quod *Herodes regnum adeptus, omnes qui tum fuerant in Synhedrio, atque adeo Hircanum ipſum interfecit, excepto Samea: ipſum enim propter ejus juſtitiam magno habebat in honore: quodque, poſtea obſeſſa urbe ab Herode, & Soſio, populum monuiſſet, ut Herodem admitterent, dicendo ipſos eum propter peccata effugere non poſſe.*

Patet itaque ex dictis, noſtram eſſe ſententiam, quod per ea oraculi verba, *& Dux de femore ejus*, denotetur Vir princeps, Judex, ac Legislator, Rectorque Synhedrii, qui vera fuerit propriaque generatione ex lumbis Judæ progenitus. Alii vero plures etiam ex Catholicis animadvertentes, quod regium ſceptrum a domo Juda per longa temporum intervalla defecerit, præſertim tempore Babylonicæ captivitatis, & imperium tenentibus Haſmonæis, in varias deflexerunt opinationes, ut prophetiam facto cohærere defenderent. Quidam enim exiſtimant, ad revincendos Judæos magis expeditam eſſe viam, ſi dicamus uſque ad Herodem ſceptrum in Tribu Juda manſiſſe, quod ad ipſam Machabæi genere materno ſpectarent, & poſt ipſos regno potitus ſit Herodes Aſcalo-

nita

nita, ſub quo idcirco regia poteſtas a Judæorum gente defecit.

At parum opinio iſthæc urget Judæos, apud quos materna ſtirps nullo numero cenſebatur. Deinde incertum eſt, ac vero minus ſimile, omnes Sacerdotes, ſpretis Contribulibus ſuis nobilitate præclaris, mulierem de Tribu Juda in conjugem accepiſſe. Præterea verba illa *De femore Judæ* paternam, non maternam ſtirpem denotant; cum generationis ſtipitem, rectamque poſterorum germinationem oſtendant.

Alii ut prophetiam explicent, arbitrantur, quod Machabæi ad Tribum Juda paterna quoque linea pertinerent; atque id aperte deduci putant ex lib. 1. Machab. c. 5. v. 63. ubi de Machabæis legitur: *Et viri Juda magnificati ſunt valde in conſpectu omnis Iſrael.*

At citato in loco *Juda* non Tribum denotat, ſed eſt proprium Machabæi nomen, ut conſtat ex præcedenti v. 61. *Non audierunt Judam, & fratres ejus;* & ex ſeq. 65. *Et exivit Judas, & fratres ejus &c.* Accedit etiam, quod Machabæi ſacerdotali officio fungebantur, uti de Mathathia patet in lib. 1. c. 2. v. 1. Scribit autem Apoſtolus ad Hebr. c. 7. v. 13., quod de tribu Juda *nullus altari præſto fuit.* Deinde non hæreditario jure, ſed ex populi electione Machabæi conſecuti ſunt regnum, ut conſtat ex lib. 1. c. 9. v. 28. Tandem etſi dare vellemus, quod falſum eſt tamen, Machabæos de tribu Juda fuiſſe; quid de eis affirmaremus, qui ante Machabæos poſt ſolutam captivitatem, ideſt ab anno Mundi 3475. uſque ad annum 3837. regnaverunt?

Cenſent alii, idcirco ſceptrum ablatum non

fuiſſe

fuiſſe de domo David, quia ipſa Tribus Juda Aſſamonæos elegit, eiſque proprium regnum aſſervandum, quaſi depoſiti loco, commiſit.

Sed Judæis ſatisfacere opinio iſta non poteſt, 1. quia Sacerdotum Principes ante Mathathiam non electione Tribus Judæ, ſed Regum Perſarum conceſſione novum Templum & ſacra curarunt. 2. quia Mathathias ipſe Aſſamonæorum primus non electus a viris Juda thronum aſcendit, ſed collecto piorum exercitu, & cæſo Antiochi præſidio, ut habetur in 1. Machab. c. 2. v. 45. Ibidem quoque v. *66.* legitur, quod Judas Machabæus ab eodem Mathathia morti proximo conſtitutus eſt Dux belli, & militiæ Princeps: quæ poſtmodum provincia c. 9. v. 28. commiſſa eſt Jonathæ ab omnibus amicis, & commilitonibus fratris ſui; Simoni vero c. 13. v. 8. ab univerſo exercitu, ac populo conclamante: *Tu es Dux noſter loco Judæ, & Jonathæ fratris tui.* Poſtremo ſi Tribui Judæ defuit Contribulis ad regendum ſceptrum idoneus, defuit etiam Dux *de femore*, uti ſupra notavimus.

Tradunt plerique, in vaticinio Jacob nomine Tribus *Juda* ceteras etiam comprehendi, eo quod fuerit illa præ aliis filiorum numero, divitiarum copia, regnique ſplendore præſtantior, ita ut Hebræi omnes ab hac una Tribu *Judæi* promiſcue fuerint appellati.

At quæcunque Judaicæ Tribus dignitas aſſeratur, Duces diverſarum Tribuum dici non poſſunt ex uno Judæ *femore* procreati, & orti *de filiis filiorum ex ſemine ejus*; uti habet Talmud Jeroſolymitanum. Reliqua etiam omnia a Jacob de Juda prænunciata ita uni eidem Tribui conveniunt, ut ceteris nequeant eſſe communia.

Sen-

Sentiunt alii, per ea verba, *Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus*, ſignificari vel perſonam Dominatoris, vel regiam urbem, vel thronum, vel formam regiminis, ita ut ſemper ſalvetur aliqua illius Tribus proprietas ſub Aſſamonæorum imperio.

Verum neque urbi, neque throno, neque regimini, neque adiectis aliunde Magiſtratibus competit eſſe *de femore Judæ*; quod nomen in laudata prophetia ſignificat dumtaxat unum ex filiis Jacob, quem ipſe Patriarcha alloquitur, & cui fratrum laudes, & terræ Chanaan poſſeſſionem prænunciat; & conſequenter ea verba *de femore ejus* commonſtrant ſolam illius viri legitimam poſteritatem. Deinde vel ea omnia, quæ hujuſce opinionis Auctores affirmant, ſimul Tribui Judæ conveniunt; vel ſat eſt, ſi conveniant ſeparatim: Si primum; ergo ablatum eſt ſceptrum, cum ad regiam alienæ Tribus perſonam pertranſiit: Si ſecundum; ergo neque ablatum eſt ſub Herode; qui licet dicatur alienigena, quod non omnes concedunt, Jeroſolymis tenuit principatum, inter filios exinde diviſum; regnumque in familia Herodis permanſit uſque ad Agrippam illius generis ſeptimum, qui obiit tertio Trajani anno.

Poſtremo alii arbitrantur, eo ſenſu ſceptrum in Tribu Juda uſque ad Chriſtum permanſiſſe, quod Tribus illa jus ſceptri uſque ad ea tempora non amiſit.

Sed neque ſententia iſthæc Judæos recte confutat, 1. quia de hoc ad regnum jure etiamnum maxime gloriantur. 2. quia licet nunc per Orbem diſperſi jus ad ſceptrum amiſerint, fuerunt tamen uſque ad annum Chriſti 95., quo Domitianus Imperator

ad

ad ſe adduci juſſit regiæ Judæorum ſtirpis reliquias, adinventi poſteri quidam Davidis, penes quos extitiſſe jus ſceptri poterunt commiſci. 3. quia etſi jus ad regnum ſermonis conſuetudine alicui tribuit Regis nomen ac dignitatem, etiam dum regnum ipſum actu non adminiſtrat; Hebraicæ tamen voces *Scevet*, & *Mechokek* virum ſignificant actu judicia exercentem, ſaltem juxta interpretationem veterum Rabbinorum.

At contra præmiſſam de Synhedrio opinionem opponunt, quod a Rabbinorum commentis illa deſcendat; tum quod Synhedrii Aſſeſſores ex una Tribu Juda ſelecti non fuerint; tum quod hi ſceptrum tenuiſſe dicendi non ſint, ſi Reges imperabant.

Reſp. ad 1. facilius retundi Judæos, ſi pro nobis pugnet Magiſtrorum ſuorum auctoritas; quanquam non hæc ſola nos moveat, ſed proprius Jacobæi oraculi ſenſus, & reliquarum opinionum improbabile fundamentum; quod plures Cl. Interpretes etiam inter Hæreticos obſervarunt.

Ad alterum dicimus, quod non de ſingulis Aſſeſſoribus a nobis vaticinium exponatur, ſed de Naſci, ſive Æchmalotarcha, quem in captivitate, & uſque ad Nehemiam fuiſſe de Tribu Juda ex Scriptura colligimus. Nam uſque ad Nehemiam præfuiſſe legimus Zorobabelem filium Salathielis, de quo 2. Eſdræ 12. 1., & Aggæi 1. 12. Commemoratur & Daniel, quem fuiſſe *de filiis Juda* conſtat ex c. 1. v. 6., adeptum vero ſummam auctoritatem, & præfecturam Magiſtratuum, ex c. 11. v. 48. Nehemias autem 2. Eſdræ c. 5. v. 15. memorat alios ante ſe

Du-

Duces, qui populo imperarunt. Ipſum Nehemiam fuiſſe de Tribu Juda conſtans eſt Hebræorum opinio, a qua nec alieni ſunt Euſebius Cæſarienſis in Chronico, & Cedrenus. Quod vero ad ſubſecuta tempora ſpectat, ex convenientibus Judæorum teſtimoniis demonſtratur, Synhedrii Principem ad Herodem uſque de Tribu Juda fuiſſe.

Ad 3. affirmamus, quod neque verborum ſignificatio, neque antiqui Interpretes, neque Rabbinorum aliquis a nobis exigat, ut de ſola Regia perſona nomen *Legislatoris ac Ducis* interpretemur; ideoque etiam ſub alienis Regibus uſque ad diſperſionem Synhedrii potuit *Scevet*, *& Mechokek* in Tribu Juda perſiſtere. *Scevet*, inquit, R. Salomon, *ſignificat principatum inferiorem: ſuntque ii, qui gubernant populum indultu Regum Perſarum.*

At dicet hic fortaſſe aliquis: Si vaticinium Jacob tam diſerte probat adveniſſe Meſſiam, qui fieri potuit, ut neque Chriſtus, neque Apoſtoli illud contra Judæos attulerint?

Reſp. quod Judæi propriis oculis ſceptrum ablatum eſſe cernebant; unde perſuaſum ſingulis erat veniſſe jam Chriſtum, aut brevi eſſe venturum. Nam & Judæorum quidam ſe Meſſiam eſſe ambitioſe jactarunt, quidam alii Meſſiam latitare dixerunt. Etiam apud Gentiles percrebuerat fama egreſſurum eo tempore ex Judæa magnum Regem, qui rerum potiretur, ut inquit Hiſt. lib. 5. Tacitus. In dignoſcendis autem Meſſiæ characteribus decepta principio eſt Judaica ſuperbia, quæ glorioſum, non humilem Regem præſtolabatur, opibuſque & armis, non virtutibus & ſanctitate clariſſimum. Propterea hos-

hortabatur illos piissimus Salvator, ut Moysi crederent, & scrutarentur Scripturas, quæ de ipso vaticinatæ fuerant, & testimonium perhibebant.

Dices insuper pro Judæis. Plures in sacris literis prædictiones habentur, quæ ob hominum scelera non implentur; ejuscemodi igitur esse potest etiam de venturo Messia promissio.

Resp. in oraculo Jacob nullum extare conditionis adjectæ vestigium; venturum nempe Messiam, nisi hominum peccata prohibeant: quod si conditiones in prædictionibus comminisci liceret, nihil profecto tam absolutum, firmumque esset, quod facili negotio everti non posset. Deinde Messias idcirco venturus asseritur, *ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna*; ut ait Daniel c. 9. v. 24. non ergo hominum peccata potuerunt adventui ejus obsistere.

Oppones ultimo. Nondum de Juda sceptrum ablatum est: regnat quippe adhuc in Asia ortus de Tribu Juda Æchmalotarcha: possident & Judæi florentissimum regnum in Syria ultra Sabbaticum flumen. Imperator ipse Turcarum, aliique præcelsi Principes ex Judæorum populo trahunt originem. Extant alibi illustria Judaici regni insignia; & dato, quod nullibi regnarent, retinent jus ad regnum, eoque jure summa adhuc auctoritas perseverat.

Resp. ejuscemodi recentiorum Judæorum fabulas a suis etiam irrideri. Hinc Talmud Jerosolymitanum in lib. Sanhedrim ita habet: *Væ nobis, quia ablatum est sceptrum*: & Rab. Bachai scribit: *Hodie non habemus regem, ne-*

que principem. Deinde etsi Orientis Principes exorti forent ex decem Tribubus a Salmanasare trans Euphratem abductis; Mosaicam tamen legem non servant, neque pertinere ullatenus possunt ad Tribum Juda, quæ permansit in terra Chanaan. Præterea cum Judæi similia somniarent circa annum Christi 95. Domitianus Imperator undique conquisivit, qui ex regia Davidis stirpe genus ducerent, duosque tantum ex ipsa Christi cognatione invenit, sed adeo pauperes, ut suis manibus arva colerent, ad tributa solvenda, & ad vitæ sibi necessaria comparanda. Lege Eusebium H. E. lib. 3. cc. 19. & 20. Postremo jus, quod habere se jactant ad regnum, cum tota stirps Davidica cessaverit, & universa gens Hebræorum dirutis Jerosolymis, Temploque destructo per Orbem disperse vagetur, non potest nisi crassum stultumque censeri figmentum: maxime quod talia comminisci poterunt usque ad Mundi finem, sicque vaticinium illud nunquam implebitur: *Dies multos sedebunt filii Israel sine rege, & sine principe*: Osee c. 3. v. 4.

CA-

CAPUT II.

Ex vaticinio Danielis c. 9. Meſſiæ adventus oſtenditur.

CUm Propheta Daniel erga populum Iſrael in Babylonica captivitate detentum Dei clementiam exoraret, per Gabrielem Archangelum intelligere meruit non ſolum liberandos brevi eſſe Judæos, ſed & univerſum humanum genus per Meſſiam a peccatis ſuis, & a poteſtate diaboli redimendum. Legitur enim Dan. c. 9. v. 24. & ſequent. *Septuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper urbem ſanctam tuam, ut conſummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur juſtitia ſempiterna, & impleatur viſio & prophetia, & ungatur Sanctus ſanctorum. Scito ergo, & animadverte: Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem, & hebdomades ſexaginta duæ erunt: & rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum. Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus eſt. Et civitatem, & ſanctuarium diſſipabit populus cum duce venturo: & finis ejus vaſtitas, & poſt finem belli ſtatuta deſolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una & in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia, & ſacrificium: & erit in templo abominatio deſola-*

tionis: & uſque ad conſummationem & finem perſeverabit deſolatio. His autem poſitis, ſit

Propoſitio. Ex laudato Danielis vaticinio conſtat jam veniſſe Meſſiam.

Id autem ut facile perſpicueque monſtremus, advertimus, non hic dierum, ſed annorum hebdomades numerari; uti omnes Hebræi, Græci, ac Latini conſentiunt. Et recte quidem, nam *ſabuahh*, *ſeptimana*, non ſignificat dierum hebdomadam, niſi *dies* ipſi exprimantur; ut conſtat ex Dan. c. 10. v. 2. & 3. & ex Ezech. c. 45. v. 21. Præterea Levitici c. 25. v. 8. anni 49. appellantur *ſeptem hebdomadæ*, ſive *ſeptem ſabbata:* ex quo patet, conſuetum fuiſſe Hebræis annorum hebdomadas ſupputare. Inſuper nihil eorum, quæ in Daniele leguntur, evenit intra dies 490., undecunque ſupputentur; cum ſola Templi ædificatio ſpatio annorum viginti fuerit peracta, quanquam muri, exterioreſque parietes brevi temporum intervallo fuerint excitati. Jubilæorum autem ſeptimanæ, quarum unaquæque continet ſepties ſpatium quinquaginta annorum, nec in Scriptura leguntur, nec in vaticinio iſto poſſunt habere locum, cum a Daniele ad templi excidium anni 3450. numerari non poſſint.

Conſtat præterea, 70. illas annorum hebdomadas ſupputandas eſſe ab *Exitu ſermonis*; ſed an per hæc verba intelligatur revelatio facta Danieli, an edictum Cyri, vel Darii, vel Artaxerſis, res eſt, quæ aliquid difficultatis includit. Verum incerta hæc interim omittentes, contra Judæos argumentum urgemus. Dum ait Daniel ab exitu ſermonis uſque ad Chriſtum præterlapſuros annos 490., ſive hebdomades, aut

aut annos ſabbaticos 70., poſt quas hebdomadas, ſeu complete exactas, ſeu percurrente poſtrema, erat Chriſtus ipſe occidendus. Atqui certiſſimum eſt, jam definitum illud annorum ſpatium tranſiiſſe; aliunde vero Chriſti nomine nequit alius, præter verum Meſſiam intelligi: jam ergo verus Meſſias advenit. Probatur minor 1. ex characteribus, quos huic Chriſto Daniel attribuit: appellatur enim *Meſſias*, ſive *Unctus*, & *Chriſtus* abſolute & ſine addito; quod nullibi, niſi de vero Meſſia ſcriptum habetur. Dicitur & *Dux*, ſive populi dominator, & rector; quo nomine etiam apud Iſaiam 55. v. 4. & Michæam 5. v. 6. Meſſias inſignitur. Vocatur inſuper *Sanctus ſanctorum*, ſive *Sanctitas ſanctitatum*, uti legunt Hebræi; Meſſiam vero ſumma ſanctitatis excellentia præclarum fore colligitur ex Pſal. 11. v. 10., Iſaiæ 12. v. 6., & alibi paſſim.

Probatur etiam ex adjunctis, quæ in hac prophetia ponuntur, Dicitur enim, quod poſt illas hebdomades ſit conſumenda prævaricatio, & delenda iniquitas, expiandumque peccatum: quod item de Meſſia prædicitur Iſaiæ 1. v. 18., & Pſal. 129. v. 7. &c. Additur inſuper Meſſiam firmaturum eſſe *pactum*, ſive novum fœdus: quod pariter de Chriſto ex ſtirpe Davidica naſcituro prædictum fuerat Pſal. 88. v. 29., Jer. 32. v. 40. &c. Item adjungitur ceſſaturum eo tempore ſacrificium, idque in Hebraico textu ita expreſſum eſt, ut ipſe Meſſias veteres expiationes abrogare debuerit; nam pro *deficiet hoſtia*, *& ſacrificium* legitur, *Ceſſare faciet ſacrificium*, *& munus*: hoc autem de promiſſo Liberatore prænunciatum eſt etiam Iſaiæ c. 1.

v. 11, Jer. 6. v. 20. Dicitur tandem adducendam tunc eſſe juſtitiam ſempiternam ; idque Meſſiæ temporibus futurum aſſeritur Pſal. 71, v. 7. Iſaiæ 53. v. 11. &c.

Probatur 3. ex prænunciata Chriſti morte, Occidendum enim Meſſiam prophetarunt David Pſal. 2. v. 2. Iſaias 53. v. 8. Jer. 11. v. 9. Fore ut derelinqueretur a ſuis, præmonuerunt Pſaltes 68. v. 21. Iſaias 63. v. 5. Zach. 13. v. 7. Immolandum pro peccatis noſtris diſerte prædicitur Iſaiæ 53. v. 4., & Threnorum 4. v. 20. Chriſtus ergo, quem Daniel occidendum, & deſerendum a ſuis affirmat, eſt verus, & expectatus aliquando Meſſias,

Probatur 4. ex deſolatione, quam Daniel poſt mortem Chriſti futuram eſſe prædixit ; neque enim poſſumus aliam hic deſolationem accipere, quam Urbis excidium ſub Tito ac Veſpaſiano, juxta ipſius Domini expoſitionem Matth. 24. v. 15. Et ſane deſolandam Urbem poſt Chriſti occiſionem prædixerunt etiam Iſaias 25. v. 2., & Zach. 13. v. 8. Ejuſcemodi vero deſolatio, quæ uſque in finem perſeveratura deſcribitur, profecto jam contigit ; uti demonſtrat Chryſoſtomus Orat. 6. contra Judæos ex quo *tam diuturnum tempus jam elapſum nullum Judæis veſtigium vel initium felicis mutationis ad hunc uſque diem oſtendit ; cum tamen inſtaurare templum ſæpius tentaverint. Hoc enim ſemel, bis, ac tertio aggreſſi, ſub Hadriano, & Conſtantino, & Juliano repreſſi ſunt ; tunc quidem a militibus, poſtremo tandem ab igne a fundamentis erumpente, & intempeſtive eorum conatus reprimente.* Hac de re legendi ſunt etiam Socrates lib. 3. Hiſt: c. 17. Ruffinus lib. 1, c. 37.

37. aliique. Poſtremo quod verus Meſſias citato in teſtimonio demonſtretur, apparet etiam ex veterum Rabbinorum conſenſu, de quo Galatinus, Finus, aliique non pauci pertractarunt.

Objicies 1. Meſſias, de quo vaticinatus eſt Daniel, eſt Cyrus Monarchiæ Perſarum Fundator: de ipſo enim legitur Iſaiæ 45. v. 1. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro &c.*

Reſp. quod Cyrus non ſit *principalis ille Meſſias*, & *Dux Judæorum*, & *Sanctitas ſanctitatum*, & *ſempiternæ juſtitiæ* Auctor, de quo locutus eſt Daniel. Cyrus enim Dominum non cognovit, ut legitur citato Iſaiæ cap. v. 4. Neque inunctus eſt Cyrus Spiritus Sancti oleo, neque oleo corporali; ſed dictus eſt Chriſtus, ſive Unctus, alluſione ad Hebræorum Reges, qui unctione conſecrabantur; & quia figuram Chriſti, verique Meſſiæ gerebat, qui nos a ſpirituali Babylonis captivitate redemit. Revincuntur poſtremo Judæi ex eo, quod ab everſione primi Templi, unde ſeptimanas ipſi ſupputant, uſque ad Templum ſecundum, ſeptem & ſexaginta duæ annorum hebdomadæ enumerari non poſſint; cum ſeptem exactæ jam fuerint ultimo Evilmerodachi anno, reliquæ tantum poſt Monarchiam Perſarum, atque Græcorum.

Objicies 2. Cum Daniel ſeptem hebdomadas a duabus & ſexaginta diſpeſcat, duos venturos Meſſias oſtendit, unum poſt priores hebdomadas ſeptem, alterum poſt hebdomadas ſexaginta duas. Si vero quæſieris, quinam ſint duo illi Meſſiæ, diverſa erit, pro diverſa hebdomadarum ſupputatione, reſponſio. Nam ſi ſupputandas

exiſtimes a Templi prioris excidio, juxta Hæbræorum Chronicon, repetendum eſt illarum initium ab anno M. 3338., quibus ſi addas ſeptem annorum ſabbata, erit annus M. 3387. ac primus Cyri. Quod ſi ab eodem anno M. 3338. numerabis hebdomadas 62. ſive annos 434., pervenies ad annum M. 3772., cum Romani qui Templum vaſtarunt, Jeroſolymam aſcenderunt, & ad tempora Agrippæ, qui ante Urbis excidium occiſus eſt. Juxta igitur ſupputationem iſtam primus Meſſias erit Cyrus, alter erit Agrippa. Si vero ſupputes hebdomadas ſeptem ab anno primo Darii, qui eſt in Chronologia Hebræorum annus M. 3389., pervenies ad tempora Joſue, & Nehemiæ, qui ad reædificandam Urbem ſub Artaxerſe perrexerant, & ad annum M. 3438. Computatis autem ab eodem anno Darii ſeptimanis 62., ſive annis 434., in ipſa Jeroſolymorum vaſtatione finem accipient. Atque ita prior Meſſias erit vel Nehemias, vel Joſue, poſterior autem Agrippa filius Ariſtobuli.

Reſp. hæc omnia portentoſa eſſe mendacia. Ac primo quidem de Cyro ſatis dictum eſt ſupra. 2. juxta Hebræorum Chronicon, ut infra dicetur, ſi ſupputentur hebdomadæ ab anno ſeptimo Nabuchodonoſor, ſi ab excidio Templi, ſi a verbo quod ab ore Hieremiæ egreſſum eſt, ſi a revelatione facta Danieli, ſi ab Edicto aut Cyri, aut Darii, aut Artaxerſis, neque diviſim, neque ſimul acceptæ terminant ſive in Cyro, ſive in Nehemia, ſive in Joſue, ſive in Hircano, ſive in Agrippa, ſive in poſtrema Templi everſione. Denique illa Judæorum Chronotaxis innumeris ſcatet er-

erroribus; uti Cl. Viri apertiſſime demonſtrarunt. Expoſiti quoque Meſſiæ characteres commemoratis, aliiſque viris convenire non poſſunt, ſed uni dumtaxat vero Meſſiæ: non enim dici illi poſſunt vel Sancti ſanctorum, vel juſtitiæ ſempiternæ, novique fœderis Auctores, vel Abolitores veterum ſacrificiorum: imo neque appellari queunt *Uncti*, cum poſt primi Templi everſionem apud Judæos oleum, vel chriſma non fuerit.

Objicies 3. Danielis hebdomadæ ad Templi excidium pertinent, ac de Templo accipienda ſunt ea verba *Excidetur Chriſtus*, tum quia unctio *Sancti*, vel *Sanctuarii*, de qua v. 24., proprie ſpectat ad Templi conſecrationem; tum quia v. 26. ubi legimus, *Occidetur Chriſtus*, ſive, *Excidetur Unctus*, ut habent Hebræi, legunt Græci, *Peribit unctio*, ideſt, miniſterium Sacerdotum ſerieſque Pontificum, ſicut etiam interpretatur Euſebius: tum demum, quia Chriſtus Matth. 24. v. 15. & Marci 13. v. 21. adhuc futuram deſolationis abominationem affirmat, *quæ dicta eſt a Daniele Propheta*; ita ut referri nequeat, niſi ad everſionem Urbis ac Templi.

Reſp. quod non poſſit Danielis vaticinium ad Templi pertinere ruinas, præcipue quia *Icharad*, quod Latinus vertit *Occidetur*, mortis ſupplicium denotat; uti patet ex Lev. 17. v. 14., & ex 3. Regum c. 18. v. 4., ubi mors per Judicis ſententiam inflicta per idem verbum exprimitur. Unde & Rabbini tradunt verbo illo mortem infamem, turpemque notari; uti Raymundus Martini in Pugione Fidei p. 2. c. 3. n. 16. demonſtrat. Deinde Templum nullibi

Un-

Unctum, vel *Unctio* nominatur; neque dici ullatenus poteſt *Meſſias Nagbid*, Chriſtus Dux, ſive Princeps. Tum Meſſiæ nomen v. 25. & v. 26. repetitur, ac per Adverſarios Cyrum, aut virum alium Principem priori in loco ſignificat: ergo ſecundo in loco Templum, vel Urbem commonſtrare non poteſt. Denique in Templi excidio non apparet peccati finis ac redemptio, ſed pœna potius ac ſupplicium. Euſebium vero in errorem impulit Græca Verſio, in qua advertendum erat, quod Hebraica phraſi ſubſtantivum nomen pro adjectivo ponatur; ut hoc eodem in cap. v. 23. Daniel *Chamudot*, *Deſideria*, appellatur pro *Cupidus*, ſive vir deſideriorum, Melius ergo Symmachus in Græcum vertit, *Excidetur Chriſtus*, & Aquila, *Peribit Unctus*; optime autem Vulgata, *Occidetur Chriſtus*. Poſtremo licet abominatio deſolationis, quam Daniel prædicit, in everſione Urbis ac Templi literaliter ſit completa; hebdomadæ tamen ſupputandæ ſunt *uſque ad Chriſtum*, non uſque ad inundationem Romani exercitus, & Jeroſolymorum vaſtationem. Hanc prænunciat Daniel recenſita Chriſti occiſione, & poſt hebdomadas jam exactas.

At reſtat modo, ut de iſtarum hebdomadum initio aliquid conſueta brevitate dicamus. Circa quod primo notamus, ea verba *Ab exitu ſermonis* non denotare revelationem Danieli, aut alii Prophetæ factam, ſed Regium Edictum de reædificanda Jeruſalem, a quo hebdomades ſuum ſumunt initium; unde legunt Hebræi: *Ab exitu ſermonis ad reverti faciendum, & ad ædificandum Jeruſalem &c.* Supputandæ ſunt igitur hebdomadæ illæ ab Edicto Regis Perſarum

rum de reædificanda urbe Jeruſalem, & complendæ ſunt in morte Chriſti, quam conſignare neceſſe ſit anno ab illarum hebdomadarum exordio 486. concurrente cum dimidio hebdomadæ ſeptuageſimæ. Nonnulli autem ex Scripturis oſtendunt, a Perſarum Regibus in Judæorum gratiam quatuor data fuiſſe decreta. Emanatum eſt primum initio Regni Cyri, de quo Iſaias c. 44. v. 28. & in 1. Eſdræ c. 1. Promulgatum eſt alterum anno 2. Darii Hyſtaſpidis: de quo edicto vide 1. Eſdræ c. 6. Emiſſum eſt tertium diploma anno 7. Artaxerſis Longimani, ut habetur 1. Eſdræ c. 7. Edictum poſtremum obtinuit Nehemias ejuſdem Artaxerſis pincerna anno Regni 20., ut legitur in 2. Eſdræ c. 2.

Communior apud Recentiores opinio tenet, 70. Danielis hebdomadas neque ab Edicto Cyri, neque ab Edicto Darii Hyſtaſpidis eſſe inchoandas. Nam Cyrus facultatem quidem Judæis tribuit, ut Templum ædificarent, non autem ut muros Urbis extruerent, ſicut apparet ex lib. 1. Eſdræ c. 1. vv. 2, & 3. Atqui incipiunt hebdomadæ ab Edicto, quo Judæi facultatem acceperunt reædificandæ Jeruſalem: *Ab exitu ſermonis ad reverti faciendum &c.* Decretum vero Darii nihil decreto Cyri addidit, ſed illud idem ſolummodo confirmavit; ut patet ex 1. Eſdræ c. 6. Deinde ab anno 1. Cyri uſque ad Chriſti Paſſionem fluxerunt anni 565., cum monarchiam ille condiderit anno ante V. Æ. 536., Chriſtus vero cruci affixus ſit anno ejuſdem Æræ 29. Item Darius Hyſtaſpis regnum adeptus eſt anno M. 3483. P. Jul. 4193. ante Chriſtianam Æ. 521. Proindeque tum ab anno 2. Darii Hyſtaſpidis, tum ab anno 1. Cyri

Cyri uſque ad annum 29. V. Æ. plus quam 70. fluxerunt hebdomadæ.

Duæ vero ſunt magis receptæ nunc ſententiæ, quarum una ab anno 7. Artaxerſis, altera ab ejuſdem anno 20. ſeptimanas enumerat. Nos priorem opinionem amplectimur, quam etiam breviter oſtendemus. Et primo quidem aſſerimus, Artaxerſem Longimanum regno fuiſſe potitum anno M. 3540. P. Jul. 4250. ante Æ. V. 464. Nam Euſebius in Chronico, aliique complures principium regni Artaxerſis Longimani conſtituunt in anno 1. Olympiadis 79. Atqui Annus 1. Olymp. 79., uti omnes admittunt, eſt ante Æ. V. 464., & juxta ſupputationem, quam etiam oppoſitæ ſententiæ Patroni ſequuntur, M. 3540. Ergo hoc ipſo anno regnum iniit Longimanus. Deinde Julius Africanus antiquiſſimus temporum Supputator, ut ait Hieronymus in c. 9. Danielis, ſcribit annum 20. Artaxerſis eſſe annum 4. Olymp. 83. Atqui ſi ab anno 4. Olymp. 83. retro numeraveris 20. annos, pervenies ad annum 1. Olymp. 79. Igitur anno 1. Olymp. 79. ſignandum eſt regni Artaxerſis initium. Accedit inſuper, quod Diodorus lib. 11. Biblioth. ſcribit, Xerſem patrem Artaxerſis fuiſſe interfectum ab Artabano anno 4. Olymp. 78. Atqui Artaxerſes omnium Hiſtoricorum teſtimonio ſtatim defuncto Patri ſucceſſit: fuit ergo regni ejus primus annus ineunte Olympiade 79. Denique idem Xerſes juxta accuratam Recentiorum chronotaxim adeptus eſt regnum anno M. 3519. ante Æ. V. 485.: atqui regnavit annis 21., aut ſaltem 20. menſeſque aliquot, ut tradunt Euſebius, Sulpitius, Syncellus, Diodorus, Sigonius, aliique communiter; computati autem anni 21. aut 20. ab anno

no M. 3519. & ante Æ. V. 485. desinunt in annum M. 3540., aut in postremos menses anni præcedentis. Igitur anno M. 3540. sive P. J. 4250. Artaxerses Longimanus Xersis filius regnare aggressus est.

His autem positis facili demonstratione probatur, Danielis hebdomadas initium sumere ab anno 7. Artaxersis. Nam annus Artaxersis 7. est annus M. 3547. ante Æ. V. 457. P. J. 4257. & annus 4. Olymp. 80. Atqui ab hoc anno Danielis hebdomadæ supputandæ sunt. Ergo hebdomadæ Danielis supputandæ sunt ab anno 7. Artaxersis. Probatur minor. Uti accuratiores jam asseruere Chronologi, Christus mortuus est anno Æ. V. 29. P. Jul. 4742. & 1. Olymp. 202., mortuus est autem in medio hebdomadæ 70., sive post annos 486. jam exactos ab hebdomadarum initio. Atqui si ab anno Æ. V. 29. P. Jul. 4742. & primo Olymp. 202. retrocedes per annos 486. jam exactos, pervenies ad annum M. 3547. P. Jul. 4257. & ad annum 4. Olymp. 80., qui est 7. Artaxersis. Igitur ab anno 7. Artaxersis supputandæ sunt hebdomadæ Danielis.

Deinde septimo Artaxersis anno plena, & ampla facultas fuit facta Judæis, ut redirent in patriam, & reædificarent Templum, urbemque Jerusalem. Ab hoc igitur anno supputandæ sunt hebdomades. Probatur antecedens ex Decreti verbis anno septimo emanati, quod legitur in 1. Esdræ c. 7. Ibi enim v. 13. ait Rex ad Esdram: *A me decretum est, ut cuicunque placuerit in regno meo de populo Israel, & de Sacerdotibus ejus, & de Levitis ire in Jerusalem, tecum vadat*: En facultas, ut pro libito omnes

in

in patriam remearent. Sequitur v. 14. *A facie enim Regis, & ſeptem conſiliatorum ejus miſſus es, ut viſites Judæam, & Jeruſalem in lege Dei tui, quæ eſt in manu tua:* En data Eſdræ poteſtas, ut ſuis juribus utatur. Deinde ſubjungitur v. 17. *Libere accipe, & ſtudioſe eme de hac pecunia vitulos, arietes, agnos, & ſacrificia, & libamina eorum, & offer ea ſuper altare templi Dei veſtri, quod eſt in Jeruſalem. Sed & ſi quid tibi, & fratribus tuis placuerit, de reliquo argento, & auro ut faciatis, juxta voluntatem Dei veſtri facite.* En reſtitutus Dei cultus, & conceſſa facultas in quodlibet opus erogandi pecuniam. Poſtremo, ut ex ſequentibus verbis apparet, Eſdras immunitatem ab omni tributo, & pleniſſimam judicandi auctoritatem obtinuit.

Ponunt qui hebdomadarum initium ab anno Artaxerſis 20. repetendum eſſe contendunt, nullum in tam amplo Decreto extare verbum de Urbe reædificanda. Verum etſi expreſſe non extet; majori tamen extat munificentia, quam ſi foret expreſſum. Quid enim eſt, dediſſe Regem Eſdræ *omnem petitionem ejus*, uti ibidem legitur v. 6., niſi ſupplicationibus Eſdræ nihil penitus denegaſſe? Deinde populo a vectigalibus & tributis immuni, & in patria conſiſtenti, ſuique juris effecto, Urbem conſtruendi facultas lege aliqua, aut conſuetudine non negatur. Quod ſi potuit Eſdras in omni opere, quod ei placuiſſet, argentum impendere, cur id non potuit in mœnibus erigendis? Sed & revera ab anno Artaxerſis VII. cœpit ædificari Jeruſalem: nam ideo Nehemias anno Artaxerſis XX. novum de reædi-

dificanda Urbe Decretum obtinuit, quod veniens Hananus retulit Judæos in afflictione magna esse, & murum Jerusalem dissipatum, portasque combustas: quo accepto nuncio Nehemias amare flevit, & ad Artaxersem accedens facultatem proficiscendi in Judæam impetravit, ut legitur in 2. Esdræ c. 1. & 2. At causa hujusce luctus, novique Decreti non fuit devastatio Urbis a Chaldæis facta sub Nabuchodonosore; cur enim de hoc, quam noverat, Nehemias interrogasset Hananum? cur audita dissipatione murorum fuisset tam acerbe tristatus? Dicendum est igitur, quod iterum ab iis, qui prosperitatem Israel ægre ferebant, sive Moabitæ fuerint, sive alii finitimi, ædificium cœptum ab Esdra fuerit dissipatum. Hinc anno xx. Artaxersis potius Nehemias facultatem obtinuit proficiscendi in Jerusalem, & vi Decreti ab anno jam septimo emanati ædificandi Urbem, quam Decretum novum, & a præcedente divetsum. Nam ut legenti patebit, Decretum promulgatum non fuit nisi anno VII. Regis, quod ad verbum in c. 7. libri 1. Esdræ refertur. Vi ergo hujusce Edicti Nehemias Jerosolymam ædificaturus ab Artaxerse discessit: aut si novum obtinuit ille diploma, prioris innovatio tantum fuit.

Ex supradictis infertur, quod annus xx. Artaxersis consignari non possit anno M. 3551. P. Julii 4261. ante Æ. V. 453., uti volunt, qui ab anno xx. Artaxersis septimanas enumerant. Si enim ut vidimus, initium regni Artaxersis accidit anno M. 3540. P. Jul. 4250. ante Æ. V. 464., jam profecto consequitur, xx. Artaxersis annum esse annum M. 3560. P. Jul. 4270.

4270. ante Æ. V. 444., labiturque Adverſariorum Chronologia annis 9.

Opponi hic poſſet, quod Daniel hebdomadas non ſolarium, ſed lunarium annorum enumeret, ut poſt Africanum nonnulli dixerunt. Nam Hebræi annos numerant juxta curſum Lunæ; aitque Propheta loqui ſe de hebdomadibus *abbreviatis*.

Sed Hebræi menſes quidem, non tamen annos juxta curſum Lunæ recenſent. Quotannis enim Paſcha celebrant Luna XIV. primi menſis, incipiunt autem annum ſuum a prima Luna propinquiori Æquinoctio Verno; quod ni facerent, cum ſolaris annus annum lunarem undecim diebus excedat, & Lunæ curſus intra 29. dies, & 6. horas abſolvatur; poſt certum annorum numerum bis in eodem anno Paſcha celebrare deberent: hoc autem devitant incommodum uſu menſis emboliſmalis, ſive intercalaris, quo annuam Solis luſtrationem poſſit Luna complere. Singulis quoque annis juxta præceptum Exodi 34. v. 22. Tabernaculorum ſolemnitatem celebrant, *quando redeunte anni tempore cuncta conduntur*; proindeque ſolarem annum obſervant, quoniam feſtum Tabernaculorum ſingulis annis ſeptimis in Autumno terræ ſabbatum aperiebat. Ergo & Daniel ſolares ſpectavit annos, maxime quod anni lunares 490. cadere præciſe in annum Paſſionis Chriſti non poſſint, uti patet ex dictis. Denique ideirco Daniel *abbreviatas* appellat hebdomadas 70., quia numerus eſt definitus, ac brevis effectus, cum longe plures hebdomadas Deus decernere potuiſſet. Et hæc quidem pro inſtituti noſtri brevitate ſunt ſatis: legendum tamen tyronibus

bus noſtris omnino conſulimus Cl. P. Berti, qui in lib. 25. c. 4. & ſeq. de Danielis vaticinio nervoſe eruditeque pertractat, & apud quem tali modo emendata Regum Perſarum ſeries invenitur:

Cyrus Monarchiam Perſarum fundavit anno	3468.	ante Æ. V. 536.
Cambiſes iniit regnum	3475.	529.
Darius Hyſtaſpis	3483.	521.
Xerſes	3519.	485.
Artaxerſes Longim.	3540.	464.
Xerſes II.	3580.	424.
Darius Nothus	3581.	423.
Artaxerſes Mnemon	3600.	404.
Ochus	3643.	361.
Arſen	3666.	338.
Darius Codomanus	3668.	336.
Regnavit annis 6.	3674.	330.

Cyro itaque tribuuntur anni 7., Cambiſi 8. in quibus comprehenduntur Smerdis Magi 7. menſes. Dario Hyſtaſpidi 36., Xerſi 21., Artaxerſi Longimano 40., Xerſi 11. & Secundiano annus unus; Xerſi ſcilicet menſes circiter 2., Secundiano Xerſis ſucceſſori menſes 7. Ocho, qui & Darius Nothus, 19. anni. Artaxerſi Mnemoni 43. Ocho, qui & Darius Artaxerſes, 23. Arſen, ſive Arſi, vel Arſami 3. Dario Codomano 6. Hic ab Alexandro Philippi Macedone vincitur, & imperio ſpoliatur; atque ita Perſarum Monarchia deleta eſt.

CAPUT III.

Ex aliis Scripturæ textibus Judæorum perfidia confutatur.

LIcet ex huc uſque dictis Meſſiam adveniſſe certo certius innoteſcat, quædam tamen alia proferre juvat ad veritatem iſtam evidentius oſtendendam. Primum vero illud ſit, quod ait Moyſes Deut. c. 18. v. 15. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis ſicut me, ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus: ipſum audies.* Et ibidem v. 18. ſubjungitur: *Prophetam ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui.* Porro hoc in loco ad Chriſtum Moyſis promiſſa ſpectare, conſtat ex Act. c. 3. v. 22., ubi Petrus Spiritu Sancto repletus aperte teſtatur, a Moyſe Jeſum Chriſtum iiſdem Deuteronomii verbis fuiſſe prædictum: quod & affirmat Stephanus eodem in libro c. 7. v. 37. Ipſe etiam Chriſtus, uti Patres & Interpretes obſervarunt, in textum iſtum intendit, dum de Moyſe ait Joan. 5. v. 46. *De me enim ſcripſit ille.*

At recentiores Rabbini poſt Abenezram locum hunc de Joſue accipiendum eſſe contendunt, eo quod poſt Moyſen ille Iſraelitarum dux & rector extiterit. Rabbi vero Bechai de Jéremia textum exponit, quod iſte captivitatis tempore magnæ fuerit exiſtimationis, invictique animi, dictus propterea *Excelſus Domini.*

Rab-

Rabbi denique Abendena illud exponit de omni Propheta, prout præstigiatoribus Chananæorum opponitur; nam ibidem Judæis præcipitur, ut ariolos pythonesque devitent.

Verum nec Josue, nec Jeremias, nec ullus alius ante Jesum Nazarenum Propheta Moysi potuit comparari; unde Deut. c. 34. v. 10. legitur: *Et non surrexit ultra propheta in Israel sicut Moyses*. Viguit præterea Christi ætate apud Judæos communis opinio, quod venturus jam esset eximius aliquis Propheta a Mose prædictus: nam Sacerdotes, & Levitæ permoti celeberrimo Joannis nomine eum interrogabant Joan. 1. 21. *Propheta es tu?* non vulgarem prophetam intelligentes; nam etiam interrogabant, an esset Elias, & an Christus esset? sed, ut dixi, Prophetam ceteris digniorem, qualem ex ministratione baptismi suspicabantur esse Joannem. Notari hoc in loco insignem Prophetam demonstrat etiam Græcorum articulus, ὁ προφήτης. Resuscitato quoque adolescentulo viduæ Naimi Judæi omnes Deum magnificantes dicebant, Lucæ 7. 16. *Quia propheta magnus surrexit in nobis*: & quinque panibus in deserto multiplicatis, dicebant omnes, Joan. 6. v. 14. *Quia hic est vere propheta, qui venturus est in mundum*. Lege & Joan. c. 1. v. 45. Notum est insuper, Judæos Africanos vivente Aben-Ezra magnos excitasse tumultus, quod prænunciatus a Mose Propheta illi similis non veniret; uti recenset Paulus Burgensis in Scrutinio Scrip. D. 8. c. 4.

Postremo licet Jesus Nazarenus Moyse fuerit longe præstantior, maxima tamen simi-

litudo inter utrumque conspicitur, & in eo præsertim quod sicut Moyses submersis Ægyptiis Israelitas ex servitute ad promissionis terram per rubrum mare traduxit, deditque legem in Sinai, ac manna de cœlo, & aqua de petra in deserto nutrivit; illorum denique hostes Moabitas, Chananæos, & alios debellavit: ita similiter Christus mundum e servitute diaboli per Baptismi lavacrum deletis peccatis traduxit in Cœlum, Evangelicam legem tulit, sanxitque miraculis, fideles suos proprio corpore pascit & sanguine, ac omnes salutis nostræ hostes expugnat &c. Neque ut Propheta Christus nominetur, obstat, quod nulla in eo fuerit obscura cognitio, ut in Moyse, aliisque Prophetis; isthæc enim obscuritas non ad prophetiæ essentiam pertinet, ad quam sola sufficit prænotio, & prædictio futurorum.

His autem positis Rabbinorum cavilli facile dissolvuntur. Sed ad 1. respondere etiam cum Procopio possumus, quod Moses de Propheta locutus sit in posterum suscitando: at Josue electus jam fuerat, declaratusque dux populi in 3. c. Deuteronomii.

Ad alterum dicimus, eandem esse de Jeremia rationem, ac de Isaia, Daniele, ceteriisque propheris, quorum nullus potest Moysi comparari tum legislatoris charactere, tum populi liberatione spectata.

Ad 3. respondemus, inter prophetas, qui ab ariolis discriminantur, principem locum tenere Christum Jesum; & dato etiam quod in prædictione Mosis prophetæ comprehendantur omnes, unum tamen esse Mosi similem assignandum: quanquam Burgensis advertit repeti Mo-

Moſis prænuntiationem, ut ſi priori loco accipiamus quemcunque prophetam annunciantem futura, altero in loco nonniſi inſignem ſummumque Prophetam intelligere debeamus.

Retunditur inſuper Judæorum pervicacia ex ſomnio Regis Nabuchodonoſor, quod refertur, & explicatur Dan. c. 2. Somnium eſt viſio ſtatuæ, cujus caput aurum, pectus & brachia argentum, tibiæ ferrum, pedum pars ferrea, pars fictilis apparebat. Interpretatio Danielis eſt, in auro deſignari ipſius Nabuchodonoſor imperium, quod extra Babyloniorum fines debellatis Ægyptiis, Aſſyriis, & ſuperato etiam Euphrate, devictſque Judæis fuit mirifice propagatum. Sane Aſſyrii ac Babylonii Regis fortuna ſi ad Judææ invaſionem referatur, initium habuit anno M. 3398. P. Jul. 4108. ante V. Æ. 606. deſiitque in infauſta ac truci morte Balthaſſaris, quem Cyri milites trucidarunt anno M. 3466. P. Jul. 4176. ante Æ. V. 538.

Secundum vero Regnum, quod Daniel appellat argenteum, fuit Medorum atque Perſarum, & a morte Balthaſſaris perduravit uſque ad annum 6. Darii Codomani, quem Alexander Rex Macedonum debellavit anno M. 3674. P. Jul. 4384. ante V. Æ. 330., & pugna in Arbelis data Perſarum Monarchiam omnino delevit.

Regnum tertium ferreum eſt Græcorum ab ipſo Alexandro fundatum; qui poſt victum Darium Babylonem quoque expugnavit, atque *pertranſiit uſque ad fines terræ, & accepit ſpolia multitudinis gentium*, ut legitur in 1. Machab. c. 1. v. 3. Bene ergo de hoc regno ait Daniel imperaturum *univerſæ terræ*. Obiit au-

tem Alexander anno M. 3681. P. Jul. 4391. ante Æ. V. 323., regnumque Græcorum inter pueros Regis diviſum duravit uſque ad tempora Herodis, & Cleopatræ, ad annum ſcilicet M. 3958. P. Jul. 4668. ante Chr. Æ. 46.

Quartum deinde Regnum eſt Romanorum, qui Occidentem, & Orientem ſuperarunt, diverſamque formam regiminis tenuerunt. Subdit poſtea Daniel v. 44. *In diebus autem regnorum illorum, ſuſcitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum ejus alteri populo non tradetur: comminuet autem, & conſumet univerſa regna hæc, & ipſum ſtabit in æternum.* Atqui quatuor regna illa comminuta jam ſunt, & conſumpta: ergo jam viget Chriſti Regnum, quod in tempore regnorum illorum a Deo ſuſcitandum Propheta prædixit. Nam & Chriſtum *lapis* ille ſignabat, qui *de monte ſine manibus abſciſſus eſt*, ut ibidem habetur v. 34, & 45. Ipſe enim eſt angularis Eccleſiæ lapis, qui ex Maria Virgine ſine virili opera eſt conceptus. Ejus præterea Regnum ſpirituale eſt, & æternum, latiuſque diffuſum eſt religione divina, quam quodlibet regnum aliud dominatione terrena.

Ergo quod opponunt perſiſtere adhuc Romanorum Imperium, neque Chriſti Regnum vi & armis regna alia ſuperaſſe, nihil omnino concludit. Nam Romanorum Regnum vix ſtat modo nomine tenus, cum in Occidente Vandalorum, Gothorum, aliorumque incurſionibus ſit everſum; ac ſubjectæ ſint quoque diverſis Principibus Galliarum, Hiſpaniarum, Angliæ, Italiæque Provinciæ: in Oriente autem diſciſſum ſit Paganorum, Turcarumque tyrannide.

Hino

Hinc quod in Germania Romanorum Imperator reſidere dicatur, quarti Regni uſque ad nos perſiſtentiam non evincit ; nam hoc quoque pacto neque Chaldæorum, neque Perſarum, neque Græcorum Monarchia tranſiſſet, cujus nomine Turcarum auctoritas inſignitur. Præteriiſſe ergo recte dicuntur, cum immutata jamdiu fuerit antiqui forma regiminis.

Chriſti præterea Regnum non ferro, ſed ſpiritualibus armis cetera cuncta comminuit, Evangelium prædicando, & idola delendo : neque illud unquam potuit Satanæ machinatio, aut temporalis poteſtas evertere. Floruit utique aliquandiu poſt Chriſti adventum Romana Reſpublica, & regnat adhuc in Orbe apud multas gentes iniquitas : at non ſubacto domitoque, ſed vigente adhuc quarto Regno Daniel venturum Chriſtum aſſeruit, nec ſtatim omnia regna ſubjuganda, ſed in aliorum comminutione Regnum Chriſti perpetuum fore prædixit. Nunc ergo confracta ſtatua, regna quatuor comminuta, Chriſti vero Regni perennitas ipſo eventu aperte declarant ſomnium Nabuchodonoſor, quod Daniel propheticis verbis expoſuit.

Ex teſtimonio quoque Michææ c. 5. v. 2. non obſcure deducitur, jam adveniſſe Meſſiam. Legitur enim : *Et tu Bethlehem Ephrata, parvulus es in millibus Juda : ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus ejus ab initio, a diebus æternitatis*. Prædixit ergo Michæas, quod Dominator populi Iſrael eſſet de oppido Bethlehem exiturus. Is vero nequit eſſe niſi Meſſias : cumque oppidum Bethlehemi fuerit ab annis multis everſum, promiſſum Liberatorem jam veniſſe conſequitur.

Porro de Meſſia vaticinatum eſſe Michæam liquet ex ſpecioſo, neque ulli mortalium aptando charactere, *Et egreſſus ejus a principio, a diebus æternitatis*. Idem præterea probat veterum Rabbinorum pervulgata traditio: hinc ſciſcitanti Herodi, *Ubi Chriſtus naſceretur*, reſponderunt Sacerdotes omnes & Scribæ, Matth. 2. v. 5. *In Bethlehem Judæ; ſic enim ſcriptum eſt per Prophetam: & tu Bethlehem terra Juda &c.* Et quidem Michææ textus intelligi nequit de Davide, aut Elimelech, aut antiquiori alio Bethlemitico duce; cum prophetaverit ille in diebus Joathan, Achaz, & Ezechiæ, regum Juda, nempe poſt annum M. 3246., eoque loci prædixerit quoque futurum Jeroſolymorum excidium. Neque ad Ezechiam, vel Zorobabelem referri vaticinatio poteſt, quibus convenire non poteſt æternitas, nec in Bethlehem Juda naſci contigit, cum Exechias natus ſit Jeroſolymis, Zorobabel Babylone.

Huc item accedunt, quæ de ſecundo Templo leguntur Aggæi c. 2. v. 8. *Et veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria: dicit Dominus exercituum*. Aç deinde v. 10. *Magna erit gloria domus iſtius noviſſimæ plus quam primæ, dicit Dominus exercituum, & in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum*. Hunc porro locum de Meſſia ad literam exponendum eſſe docent non tantum Patres, ſed veteres quoque Rabbini, quos citat Galatinus in lib 4. c. 9. & 10. oſtenditque illum jam pridem veniſſe, quia jam pridem deſiit Zorobabelis Templum, quod hic dicitur Chriſti præſentia glorioſius eſſe reddendum, quam antea fuerit Templum a Salomone conſtructum. At

At recentiores quidam Judæi gloriam ſecundi Templi in eo reponunt, quod uſque ad Titum perduraverit, majori, quam primum ſteterit, diuturnitate; aut in eo quod ornatius fuerit, ac muneribus divitiiſque præclarius; aut demum, quod ſtante hoc Templo tranquilliorem pacem habuerint.

Verum inepta reſponſio eſt. Quænam enim cenſenda eſt gloria, quod Templi ſecundi moles ſteterit annis, quot ipſi enumerant, 420., vix decem plus quam Templum Salomonicum perduravit? At *magnam gloriam*, & qua Templum *implendum* erat, prænunciatam habemus.

Falſum eſt etiam, quod noviſſima Domus ob opulentiam, ſacramque ſupellectilem illuſtrior fuerit, celebriorque quam prima; præſertim cum in novo Templo neque fœderis Arca, neque perpetuus ignis, neque ſplendidiora Domus primæ ornamenta remanſerint. Id ex confeſſione etiam Rab. Azariæ demonſtrat Mich. Boccius *in Templo tertio ficto*.

Pacem vero, niſi illam fateamur a Propheta prædictam, quam Chriſtus terris intulit, qualem invenies in Templo ſub Antiocho, Seleuco, Pompejo, C. Cæſare, ac Tito, omni profanationis ſpecie temerato? Quomodo pacem dixeris prænunciatam a Daniele abominationem deſolationis? Quam populi tranquillitatem in contrario bellorum exitu, in Jeroſolymorum excidio, in clade, qua, aut fame, aut ferro abſumpta narrantur Judæorum undecies centena millia, in captivitate, in quam devictorum reliquiæ devenerunt?

Reponunt Judæorum alii, veniſſe ad hoc Templum invictiſſimum Regem Macedonum Ale-

Alexandrum. Sed inſcite ac ſtolide homini idololatræ, & ſe jactanti filium Hammonis ſpecioſus Meſſiæ titulus attribuitur, *Deſideratus cunctis gentibus*, ſive ut habetur Hebraice, *Deſiderium cunctarum gentium*. Impudenter etiam *magnam Dei gloriam* arbitrantur, quam Apollini quoque Rex ille Græcorum exhibuit. Denique Malachias 3. v. 1. venturum affirmat *ad Templum ſuum* non Regem aut Græcorum, aut Perſarum, aut Aſſyriorum, ſed *Dominatorem*, Hebraice, *Haadon*, illum ſcilicet, per excellentiam, Dominum, quem tot ſeculis quæſivere Judæi, & optatiſſimum *Angelum teſtamenti*. Id vero impletum eſſe dum Virgo Mater puerum Jeſum Domino ſiſteret, divini Spiritus revelatione noverunt juſtus Simeon, & Anna prophetiſſa filia Phanuel, uti recenſet Lucas c. 2. vv. 25. & 36.

Sed oritur difficultas, quod Templum Chriſti ætate perſiſtens, Herodianum ac tertium fuerit, non illud a Zorobabele conditum & ſecundum. Scribit namque Joſephus lib. 15. Antiq. c. 11. n. 3., quod Herodes *ſublatis veteribus fundamentis, & jactis aliis, templum ſuper eis erexit in longitudinem cubitorum centum, in altitudinem totidem, & viginti amplius*. Si ergo ad tertium Templum ab Herode conſtructum Chriſtus advenit, prælaudato Aggæi vaticinio Judæi revinci non poterunt.

Hanc nos difficultatem, relicta aliorum reſponſione, diluendam ita eſſe cenſemus, quod licet Herodes domum Dei a fundamentis extruxerit; erat tamen hæc domus eadem cum ſecunda, quia Herodiana ex ruinis excitata non fuit, ſed paulatim innovata per partes, ita ut ſemper

per perſiſteret Sanctum ſanctorum; cum nunquam ſacer cultus, & ſacrificia fuerint interrupta: quod non ſolum Ribera, ac Catholici Interpretes obſervarunt, verum & Grotius, Scaliger, aliique. Profecto Judæi Herodianum Templum idem eſſe ac ſecundum ubique fatentur, ipſumque quod Titus evertit, non alio unquam vocabulo, quam *Bait ſeni*, Domum ſecundam appellant. Lege Talmud cap. ult. de Synedrio, titulo Joma, & titulo Roſch Haſchana. Id ex eo etiam confirmatur, quod Aggæus demonſtrativo pronomine Domum a Zorobabele conſtructam deſignat, imo Zorobabelem ipſum alloquitur. Ceterum cum Herodianum Templum, abſque ulla reſtaurationis ſpe, ſolo æquatum ſit, & a fundamentis everſum; luce clarius jam apparet, adveniſſe Meſſiam, de quo vaticinatus fuit Aggæus.



CA-

CAPUT IV.

Quod Jeſus Nazarenus ſit Meſſias in lege promiſſus.

JAm ex huc uſque dictis aperte ſolideque deducitur, quod promiſſus olim Meſſias ante ſecundi Templi everſionem advenerit; uti etiam Judæorum aliqui confiteri non renuunt. Ne tamen iſti Meſſiam eſſe Jeſum Nazarenum aſſererent, alios adinvenere Meſſias, ut Doſitheum, Simonem Samaritanum, Barchochebam, Davidem Eldavidem, ac Veſpaſianum ipſum ſuæ perditionis auctorem. Alii vero aut in hortis Eden, aut in noſocomiis urbis Romæ, aut alibi latitaſſe putarunt, tanta fiducia manifeſtationis ejus erecti, ut ideo Romanorum jugum excutere tentaverint, quod ex eorum finibus profectus Dux inclytus Orbis terrarum habiturus eſſet imperium. Neque quæ percrebuerat, fallax opinio fuit, ſi poteſtatem intellexiſſent ſpiritualem, quam prædixere Propheræ: at quia temporalem præſtolabantur, neque Chriſtum verum Meſſiam agnoſcere, neque in Pſeudoprophetis illis impletum oraculum reſtitutionis Regni Iſrael aſpicere meruerunt. Quoniam ergo experientia edocti teſtantur impoſitores fuiſſe eos, qui ſub Chriſti nomine venerunt Herodis, & Hadriani temporibus; id unum modo ſupereſt demonſtrandum, talem non fuiſſe Jeſum Nazarenum, qui & miſſionis ſuæ veritatem oſten-

oſtendit, aliorumque calliditatem aperte prædixit.

Propoſitio. Jeſus Nazarenus eſt verus Meſſias a Deo promiſſus.

Probatur. Uti ex dictis apparet, ille verus Meſſias dicendus eſt, qui advenit, dum ſceptrum de tribu Juda fuit ablatum, dum ad finem vergerent Danielis hebdomadæ, dum quartum Regnum poteſtatem Græcorum infregit, dum ſtaret Templum a Zorobabele conſtructum: ille etiam eſt Meſſias, qui in hiſce temporum adjunctis ex ſemine David eſt ortus in Bethlehem, qui ſpirituale æternumque Regnum inſtituit, qui venit ad Templum ſuum, qui denique in medio poſtremæ hebdomadis mactatus eſt, ut deleretur iniquitas. Atqui hæc omnia in Jeſu Nazareno completa fuerunt. Ipſe igitur eſt verus, & expectatus aliquando Meſſias.

Univerſi inſuper Jeſu Nazareni, & Meſſiæ characteres eandem veritatem oſtendunt. Ex Davidis poſteritate naſciturum fore Meſſiam prædictum eſt Pſal. 88. v. 4., & Jeſum eſſe filium Davidis apparet ex Matth. c. 1. Prædixerunt Ezechiel 44. v. 2., & Iſaias 7. v. 14., quod Meſſias concipiendus eſſet ex Virgine; id autem in Chriſto impletum liquet ex Luca c. 1. v. 26. Meſſiæ patria eſt Bethlehem apud Mich. 5. v. 2., & Jeſum Bethlehemi natum conſtat ex Matth. 2. v. 1. Præterea ante Chriſti prædicationem Marci 1. Joannes Baptiſta prædicavit pœnitentiam in deſerto, juxta vaticinium Iſaiæ 40. v. 3. Et ut alia ſileamus, in Paſſione Chriſti conſummata ſunt omnia, quæ prænunciata jam fuerant. Ingreſſus eſt Jeroſolymam ſedens ſuper pullum aſinæ, ut vaticinatus fuerat Zacharias

9. v. 9.

9. v. 9. Traditus fuit a discipulo, ut idem Propheta prædixerat 11. v. 12., & Psalmista 54. v. 13. Cæsus flagellis, cruci suffixus, & cum sceleratis reputatus est, uti prænunciaverat Isaias 1. v. 6. & 53. v. 12. Revixit etiam, & in Cœlum ascendit; uti prædictum legitur Psal. 3. v. 6. & Psal. 67. v. 19. Istæ igitur notæ aliæque consimiles cum non alteri nisi Jesu Nazareno conveniant, dicendum profecto est, quod ipse sit promissus ille Messias.

Christi quoque miracula robur argumento suppeditant non ob id tantum, quod in confirmationem erroris patrari non possint, ut patet ex dictis in lib. 9. c. 15., verum & quia singularibus notis adventum Messiæ demonstrant. Cæcos enim illuminavit, surdis reddidit auditum, roboravit genua debilium, claudosque sanavit, ac mortuos revocavit ad vitam, juxta prædictionem Isaiæ cc. 26. & 35. Recte ergo interrogantibus Baptistæ discipulis Matth. 11. v. 3. *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* respondit Jesus v. 4. *Euntes renunciate Joanni, quæ auditis, & vidistis. Cæci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt.* Plura insuper miracula divinam Christi missionem ostendunt, sicut est stella, quæ in nativitate ejus apparuit juxta vaticinium Isaiæ 60. v. 3. & visibilis Spiritus Sancti descensus in Baptismate, de quo idem Isaias 11. v. 2. Solis obtenebratio in plenilunio, ac in ipso meridie, ut indicaverat Amos c. 8. v. 9. Jesus igitur Nazarenus est expectatus ille Messias.

Objicies 1. Pertinet ad Messiam confirmare pactum legemque Mosaicam Dan. 9. v. 27., perpe-

petuum reddere Leviticum Sacerdotium Jer. 33. v. 13., conterere gentes Moab, & filios Seth Num. 24. v. 17., debellare Gog & Magog Ezech. 39. v. 11., conſtruere Templum ampliſſimum apud eundem Prophetam cc. 40. & 41., poſtremo non gentibus, ſed populo Iſrael ſalutem afferre Is. 11. v. 12. Atqui Jeſus Nazarenus nihil horum exhibuit.

Reſp. quod hæc omnia ſpirituali ſenſu impleta jam fuerint, neque debuerint juxta literam adimpleri. Noſter enim Jeſus legem in Evangelium, Sacerdotium Levi in ordinem Melchiſedech, veteresque victimas in incruentum Sacrificium commutavit, deletiſque futurorum umbris, juſtitiæ perennitatem adduxit. Dum vero Apoſtolorum ſuorum prædicatione gentium idola ſubvertit, glorioſum retulit de omni natione triumphum, & in Eccleſia, quam acquiſivit ſanguine ſuo, longe melioris ſtructuræ Templum erexit. Offerens autem ſemetipſum in Ara crucis, ſalvavit Iſrael, congregavitque profugos, & fideles, qui reputantur in ſemine.

Neque alio in ſenſu fas eſt expectare promiſſa, niſi velimus repugnantia credere, quod ratio non permittit. Nam legem aliam *de Sion, & verbum Domini de Jeruſalem* promulgatum iri pronunciat Iſaias c. 2. v. 3. Novum firmandum eſſe *pactum*, & *in corde*, non in tabulis, conſcribenda eſſe præcepta, Jeremias affirmat c. 31. v. 33. Novam ergo legem, eamque ſpiritualem ſacræ literæ ſpoponderunt. Ubique terrarum *oblationem mundam* Deo offerendam vaticinatus eſt c. 1. v. 11. Malachias: *Gentes* ad ſacerdotale munus eligendas ſcribit

Iſa-

Isaias 66. v. 21., idemque Propheta c. 19. v. 19. erigendum *altare Domini* etiam *in Ægypto* prædicit: abjicienda esse holocausta testis est Amos c. 5. v. 22. Non igitur in sola Jerusalem, neque a solis filiis Aaron, neque sola holocausta sanguine cruentata immolanda sunt Deo. Perpetuam fore secundi Templi desolationem constat ex Daniele; ideoque a Messia reædificandum esse non certa spes, sed somnium est Judæorum; maxime quod Ezechiel juxta Hieronymum de spirituali Ecclesiæ Templo loquatur, juxta vero alios de Templo a Zorobabele constructo.

Messiæ insuper arma *justitiam & æquitatem*, & instrumenta ad perdendos impios *virgam oris*, *& spiritum labiorum suorum*, non ensem & gladium esse, auctor est Isaias c. 11. vv. 4. & 5.

Venit postremo Christus ad salvandum Israel natus in Bethlehem, oblatus in Templo, prædicans in Galilæa, & crucifixus in Golgotha: *pro ovibus Israel* affirmavit se venisse Matth. 15. v. 24., ac præcepit Apostolis, *ne abirent in viam gentium* Matth. 10. v. 5., neque illi ad gentes conversi sunt, nisi vi a Judæis expulsi, uti Paulus & Barnabas Act. 13. v. 46. dixerunt. Hanc autem gentium vocationem Deus Abrahæ repromisit Gen. 22. v. 18., prædefinivit Christo Psal. 2. v. 8., confirmavitque per ora omnium Prophetarum. Recidunt ergo adversus Judæos singula illorum objecta.

Objicies 2. Gloria promissi Messiæ cum humilis Nazareni fortuna componi non potest; sicut & illi repugnat contumeliosa mors, in quam omnes, ipsique probi Synagogæ viri, & Sa-

Sacerdotum Principes conſpirarunt. Quis enim credet, quod Regem ſuum ac Ducem, eundemque beneficum & optimum univerſi necare voluerint?

Reſp. quod humilis Nazarenus non ea gloria caruit, quam de Meſſia Scripturæ pronunciant. In ipſis enim cunis gentium dona recepit, puer in medio Doctorum aſſedit, glorioſus in Thabor apparuit, fugit in montem ne raperetur ad thronum, & ore infantium hoſanna percepit, divites funus ejus honeſte curarunt, & factum eſt ſepulcrum ejus glorioſum. Falluntur quoque Judæi, dum duplicem Chriſti diſtinguere nolunt adventum. Sed ut ut in primo adventu humilis apparuerit; deſpectum tamen illum & noviſſimum virorum appellaverat Iſaias, percuſſum a Deo, & humiliatum, & quaſi agnum ad occiſionem fore ducendum; quia *omnes nos quaſi oves erravimus, & poſuit Dominus in eo iniquitates omnium noſtrum*. Lege laudati Prophetæ c. 53., atque in ipſa Redemptoris humilitate Meſſiæ majeſtatem agnoſce. Si adverſus illum *aſtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum*, prædixerat hoc David in Pſal. 2. v. 2. In eo tamen eſt aliquid, quod Judæi ſummopere erubeſcant; Pilatum nempe ethnicum hominem nullam in Jeſu mortis cauſam inveniſſe. Sacerdotes quoque & Synhedrii Principes adverſus Regem ſuum ſtetiſſe, non eſt cur Judæi mirentur, ſi ad veterum vaticinia, & ad præterita facta velint advertere. In lapidem offenſionis, & in petram ſcandali domibus Iſraelis, atque in ruinam habitantibus Jeruſalem, Chriſtum a Deo ponendum prædixere Prophetæ, ut patet ex Pſalmis

108. & 117., ex Iſaia c. 8. & ex Threnis c. 3. Reminiſci præterea debent Judæi, majores ſuos etiam adverſus Moſen ſeditiones fuiſſe molitos, rebelles fuiſſe Davidi, trucidaſſe Zachariam filium Jojadæ, mortemque Jeremiæ falſo crimine intentaſſe. Sectus eſt etiam ab illis membratim Iſaias, Michæas Moraſthites gladio peremptus, & alter ejuſdem nominis ſub Achabo cuſtodiæ traditus eſt, aliique diverſo mortis genere ſunt affecti. Ita namque eos, qui ad ipſam miſſi ſunt, honoribus cumulare Jeruſalem conſuevit. Ergo nil mirum, quod Sacerdotes, & Scribæ adverſus Jeſum aſtiterint, quos tunc temporis majorum omnium flagitia ſuperaſſe recenſet Joſephus lib. 14. & 18., & ferina fuiſſe crudelitate fatetur R. Salomon in Synhed., & Talmud de ponderibus. Reponunt aliqui, quod ob ejuſcemodi peccata Meſſias venire diſtulerit; at cavillatio iſthæc ſoluta jam fuit in hujuſce libri c. 1.

Objicies 3. contra Jeſu Nazareni miracula, primum, quod commentitia illa fuerint, & a Chriſtianis inventa: deinde quod ſi vera ſint, magicis artibus, & dæmonum ope fuerint perpetrata: plura inſuper mirabilia Chriſtum feciſſe narratur per *arcanum* quoddam *nomen* fraudulenter de Templo ſublatum: poſtremo ab impiis quoque, & pſeudoprophetis facta non ſemel mira ac ſtupenda nemo non novit.

Reſp. quod ſanioris mentis Rabbini patrata a Chriſto prodigia denegare non audent, ut patet ex Joſepho in lib. 18. Antiq. Judaic. c. 4., de cujus teſtimonio inter alios legendus eſt P. Berti in lib. 25. c. 9. Idem apparet & ex Talmudicis libris Avoda Zara, & Midraſch Coho-

leth;

leth; idque teſtati ſunt etiam illi, qui Jeſum accuſabant, quod die ſabbati paralytico reddiderit ſanitatem. Accedit & teſtimonium diſcipulorum Joannis, ac dæmonum quoque, & perditiſſimorum hominum, ipſiuſque Juliani Apoſtatæ apud Cyrillum in lib. *6.*, nec non Mahumetis in Alcorano Azoara 5. 11. 13. Quænam præterea ſunt veritatis argumenta in patratis a Moſe miraculis, quæ in rebus a Chriſto geſtis inveniri non poſſint? Utraque literis conſignata, & coram populi multitudine ſunt perfecta. Imo ſi fas eſt ita reponere, facta Moſis ab ipſo primum literis mandata ſunt, Chriſti vero a quatuor Evangeliſtis. Plura ille geſſit in Horeb, in Sina, in ſolitudine ab omnium oculis ſegregatus; at is omnia in templo, in urbe frequentiſſima, & univerſis, vel ſaltem inculpatæ vitæ pleriſque ſpectantibus. Nobis ergo facilius eſt Chriſti, quam Moſis tutari prodigia; licet utraque fateamur, neque poſſint a Paganis ullatenus oppugnari.

Chriſti prodigia dæmonum ope perpetrata non eſſe ex eo præſertim apparet, quod opera diaboli ille diſſolverit, & unum Deum prædicaverit adorandum, ejuſque diſcipuli idola confregerint, & Epheſiorum libros magicam artem continentes igne combuſſerint; quibus profecto notis veritatem miraculorum Moyſis, & Eliæ defendimus. Recole quæ diximus in lib. 9. c. 15.

Poſtremo quod ajunt, Jeſum patraſſe miracula per ſublatum *Dei Nomen arcanum*, hoc idem aperte refellit, quod modo objectum eſt, oſtenditque facta a Chriſto fuiſſe miracula in Dei virtute, non dæmonis. Fabulam tamen

narrant mendaciter, impudenterque confictam, dum aſſerunt nomen illud arcanum inſcriptum lapidi, cui impoſita hærebat Arca, extitiſſe temporibus Reginæ Helenæ, æreiſque canibus, aut leonibus fuiſſe ſervatum. Ut enim recte Grotius adnotat in lib. 5. de verit. Rel. Chriſt. n. 4. de re tam inſigni & admiranda nec libri Regum, nec Paralipomenon, nec Joſephus aliquid enarrarunt, neque Romani, qui cum Pompejo Templum intrarunt ante Jeſu tempora, tale aliquid invenerunt. Accedit Reginam Helenam Jeroſolymam adiiſſe poſt regis Agrippæ obitum, & in fabulis iſtiuſmodi inſignem deprehendi ignorationem hiſtoriæ. Lege Huetium Dem. Evang. propoſ. 9. c. 39. n. 5. Reliqua leges in hujuſce operis lib. 9. c. 15.

CA-

CAPUT V.

Ubi contra Gentiles Incarnationis myſterium propugnatur.

QUod Dei Verbum caro ſit factum, humana ratiocinatione, ac poſitivo, ut inquiunt, argumento demonſtrari non poteſt. Uti enim loquitur Auguſtinus in epiſt. 137. ad Voluſianum c. 2. *Si ratio hic quæritur, non erit mirabile; ſi exemplum poſcitur, non erit ſingulare. Demus Deum aliquid poſſe, quod nos fateamur inveſtigare non poſſe. In talibus rebus tota ratio facti eſt potentia facientis.* Hinc Scholæ Doctores affirmant, quod neque hujuſce Myſterii poſſibilitas poſitiva demonſtratione probetur per cauſam, & ut inquiunt, *a priori*; cum nulla creatura, ſed ſola Dei voluntas Incarnationis cauſa eſſe poſſit: neque per effectum & *a poſteriori*; nullus enim in rerum natura effectus exiſtit, qui cum Verbi Incarnatione neceſſario connectatur. Denique Trinitatis Myſterium nequit naturali ratione cognoſci, ut in lib. 7. c. 5. probatum eſt: atqui Myſterium Incarnationis ſine Trinitatis notitia cognoſci non poteſt; oportet enim, ut Patrem inter & Filium perſonalis diſtinctio, & eſſentialis unitas cognoſcatur.

Demonſtramus igitur Myſterii hujuſce poſſibilitatem argumentis, quæ *negativa* vocantur; quia dum objectant increduli, quod leves con-

jecturæ ac mera figmenta nos moveant ad præbendum pugnantibus rebus aſſenſum, rationem reddimus oſtendendo nihil a nobis credi impoſſibile, aut contrarium rationi, & argumenta quibus Myſterium iſtud impetitur, enodamus. Præterea ab ipſa Chriſti doctrina, & a Chriſtiana Religione momenta depromimus, quæ evidentem Incarnationis credibilitatem exponunt, & adſtruunt jam veniſſe verum Dei Filium humani generis Redemptorem. Huc itaque ea faciunt, quæ in lib. 14. c. 4. ad demonſtrandam fidei noſtræ credibilitatem adduximus, iiſque ſequentia addere facillimum erit.

Sane Chriſti, ejuſque diſcipulorum miracula, quæ ſolus poteſt Deus in veritatis confirmationem efficere, invictum jam peractæ Incarnationis perhibent argumentum. Illorum complura in Evangeliorum libris, & in Actis Apoſtolicis recenſentur. Quod vero dæmonum ope patrata non fuerint, ex eo evidenter oſtenditur, quod ad diſſolvenda opera diaboli ex propoſito ſint perfecta. Non fuiſſe præſtigia ſenſuumque ludificationes, evincitur, quod ſpectante omni populo, in urbe frequentiſſima, & coram calumniatoribus ipſius Chriſti inimicis patrata narrentur. Accedit inſuper, quod illorum nonnulla experimento fuerint comprobata; nam Lazarus, quem e ſepulcro quatriduanum Dominus ſuſcitavit, ne phantaſma putaretur, coram omnibus loquebatur, & epulabatur, ut ad eum Judæi ſtupore percuſſi confluerent; ſicut apparet ex Joan. c. 11. & ex Auguſtino tract. 49. & 50. in Joan. Cæcum quoque a nativitate illuminatum a Chriſto, de quo idem Evangeliſta c. 9., poſt ipſius confeſſionem, & pa-

rea-

ſentum teſtimonia Phariſæi occulere nequiverant. Hæc, & alia plura a diſcipulis conficta dici non poſſunt, primo quia edita a Chriſto prodigia negare non audent Chriſtiani nominis hoſtes, ut Celſus apud Origenem lib. 2. & Julianus Apoſtata apud Cyrillum lib. 6. Deinde quia Petrus commemorando Iſraelitis Chriſti virtutes, in una tantum concione convertit tria millia virorum, in altera quinque millia, ut habetur in Actis Apoſtol. c. 2. & 4.: incredibile autem eſt, hos omnes fictis prodigiis fuiſſe commotos. Sed & Apoſtoli cum ejuſcemodi prodigia prædicarent, nunquam uti mendaces a populis, inter quos evenerant, repulſi ſunt, ſed uti præſtigiatores, atque malefici. Ad hæc Evangeliſtæ, qui Chriſti miracula literis conſignarunt, non prætermittunt illius paupertatem, ignominias, odium apud Sacerdotes ac Principes, probra, deriſiones, extremumque ſupplicium; ut plane conſtet, quod in Magiſtri gratiam comminiſci falſa noluerint. Tandem cui bono hæc diſcipuli confingere voluerunt? Non utique ob temporale commodum, cum pro Chriſti nomine perſecutiones, contumelias, & mala innumera paterentur; neque ob meritum, legiſque ſuæ obſervationem, cum mendacium & falſum teſtimonium omnis Religio, & præſertim Chriſtiana, prohibeat.

Alterum argumentum deſumi ex oraculis poteſt, quæ ab exordio Mundi omni ætate Chriſtum Judaico populo prædixerunt; ut liquet ex iis quæ in præcedentibus cc. ſatis ſuperque notavimus. Tam multa & præclara Deum habere auctorem, qui ſolus futura omnia intuetur, neque comparanda eſſe cum ambiguis idolorum re-

reſponſis, apparet ex dictis in lib. 1. c. 6., in lib. 4. c. 3., & in lib. 9. c. 7. Nec Judæis tantum prænunciatus eſt Chriſti adventus, verum & Gentibus, ut Moabitis a Balaam, & a Job Idumæis. Etiam in ſui perniciem ex vaticiniis Prophetarum dæmones ſuam per Chriſtum everſionem veritate cogente nuntiarunt. Imperante Auguſto tam pervulgata fuit opinio proditurum ex Judæa Dominatorem Univerſi, ut de ea ſcripſerint etiam profani hiſtorici Tacitus lib. 5. hiſt., & Suetonius in Veſpaſiano c. 4. Orta hinc quorumdam opinio Veſpaſianum eſſe Chriſtum; ſed quoniam in illum minime quadrabant oracula, his perlectis Jeſum Nazarenum viri etiam percelebres agnoverunt, ut Verianus Pictor, & Marcellus Orator.

Huc accedit ante Chriſtum celebriora oracula obmutuiſſe, quod factum iri in ſignum adventus Meſſiæ prædixerat Zacharias 13. v. 2. Hinc ferunt Apollinem Auguſto cauſam ſilentii ſciſcitanti hoc dediſſe reſponſum:

Me puer Hebræus Divos Deus ipſe gubernans
Cedere ſede jubet, triſtemque redire ſub Orcum:
Aris ergo dehinc taciti diſcedite noſtris.

Vide Nicephorum lib. 1. hiſt. c. 17. Suidam in Auguſto, & Baronium in app. Ab his ſe deluſum queritur Hyacinthus Serry exercit. 32. mendacio fidem aliquando dediſſe. Etenim, inquit, jam ab ipſa Ciceronis ætate cœpit Delphicum oraculum eſſe minori in pretio, ut ait idem Cicero 2. de divinat., periiſſe tamen etiam ſub Trajano colligitur ex Plutarcho. Narrat præterea Suetonius reſponſum datum Ne-

Neroni, Philoſtratus Apollonio, Dio Chryſoſtomus Adriano. Feſtiviſſimum oraculum aliud commemorat Spartianus. Euſebius denique lib. 2. de vita Conſt. c. 45. Delphicum oraculum ad ſua uſque tempora ſteriſſe teſtatur. Ex quibus Critici complures exiſtimant falſiſſimum eſſe quod de Auguſto præmiſimus, quandoquidem longe ante Chriſtum minore gloria fuit Delphis oraculum, neque penitus poſt Chriſtum obmutuit.

At hæc quæ invicta putantur, nullius omnino ſunt roboris. Nam etiam ab anno 3589. Prophetæ deſierunt in Iſrael, quod ſignum erat Moſaicam legem non diu eſſe manſuram; atque ita nonnullis ante Chriſtum annis apud Idololatras oraculorum celebritas ceſſavit in ſignum Chriſti proxime naſcituri: & quemadmodum poſteaquam celebriores Prophetæ ceſſarunt, propheraruntnonnulli ex ſingulari Dei munere, ut Anna, Simeon, & Agabus; ita poſtquam Delphici oraculi frequens rumor, ac celebris exiſtimatio deſiit, impii quidam dæmoniorum reſponſis ex occulto Dei judicio ſunt decepti.

Tertium nobis argumentum ſuppeditant teſtimonia non ſolum Virorum ſanctitate ac religione illuſtrium, ſed etiam hoſtium nominis Chriſtiani. De Celſo Epicureo, Juliano Apoſtata, & Flavio Joſepho, dictum eſt ſupra. Addimus Acta Pilati, quo Præſide Chriſtus Jeſus affixus eſt Cruci. In his Romanus Præſes de Jeſu Nazareno tam inſignia nuntiavit, ut Tiberius apud Senatum de illius Apotheoſi tractaverit. Quamvis vero ſpuria hæc & conficta Critici plures exiſtiment; illorum tamen opinio perantiquis

& ce-

& celeberrimis Eccleſiæ Patribus adverſatur. Ad hæc enim Acta Gentiles provocavit S. Juſtinus in altera ad Antoninum Apologia, Tertullianus in Apologetico c. 5. & 21., & Lucianus qui ſub Decio martyr occubuit. Eadem firmiſſime receperunt Euſebius lib. 2. H. E. c. 2. Chryſoſtomus hom. 26. in epiſt. 2. ad Cor., Oroſius lib. 7. c. 4., & quotquot ſubſecuti ſunt Hiſtorici ac Patres, ut merito ſcripſerit Petavius in animadverſionibus in Epiph. p. 87., quod ne refutationem quidem contraria ſuſpicio mereatur: & ipſe Hyacinthus Serry tantæ in ventilando ambigua monumenta licentiæ, exercitat. 64. aſſerit, quod Acta Pilati citra ſummam audaciam in dubium verti non poſſint. Nota tamen, quod de genuinis Actis hic loquimur, ad quæ priſcis ſæculis a Patribus provocabantur increduli; nam quæ ad ætatem noſtram Pilati Acta pervenerunt, apocrypha eſſe concedimus. Lege diſſertationem, quam hac de re edidit Auguſtinus Calmet: lege Sandini in Hiſt. Fam. Sac., Berti in lib. 25. c. 10. &c. His ergo, aliiſque ſimilibus argumentis Divini Verbi adventus in carne contra Gentiles oſtenditur.

Sed objiciunt 1. Rationi repugnat, quod Dei Verbum in uterum Virginis de Cœlo deſcenderit; Deus enim cum ſit immenſus, de loco in locum venire non poteſt.

Tum Deus immutabilis eſt; non ergo potuit vere & ſubſtantialiter fieri homo. Quod ſi mirabili nexu divinitas, & humanitas in una perſona ſunt copulatæ; ergo non tantum humanitas, ſed & divinitas, partes quædam erunt, quæ Chriſtum ſimul unitæ componant.

Illud denique percipi nequit, quod humana natura ſit in Chriſto perfecta, & nihilominus propria careat ſubſiſtentia: item quod diverſæ diſpareſque ſubſtantiæ in unitate perſonæ ſimul ſubſtantiali vinculo conjungantur.

Reſp. ad 1., quod licet Deus per immenſitatem ubique ſit præſens quoad ſui ſubſtantiam; cum tamen non eadem ſemper effecta ubique producat, hinc in novum venire locum, & ad nos deſcendere dicitur, quando aliquid exterius operatur, quod præter uſitatum naturæ curſum mirabiliter factum quodammodo præſentiam ejus oſtendit. Relege quæ diximus in lib. 2. c. 3. Ergo Dei Verbum licet a creatione Virginis præſens ei fuerit immenſitate ſubſtantiæ; in incarnatione tamen factum eſt præſens per ſpecialem operationem, qua carnem aſſumpſit, quin Cœli regna defereret.

Ad 2. dicimus, quod mutatio tota ſe teneat ex parte humanæ naturæ, quæ in divinæ naturæ conſortium aſſumpta eſt. Nam quamvis Verbum vere & ſubſtantialiter factum ſit homo; non id tamen contigit converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum; ita nimirum, ut in incarnatione Verbum nihil intrinſecæ perfectionis de novo receperit, ac nihil amiſerit. Denique divinitas cum perfectiſſima ſit, neque ex ſui natura poſtulet quod humanitati jungatur, pars proprie dicta non eſt, neque Chriſtum ita componit, ut cum humanitate unam naturam efficiat; ſicut unum quoad naturam hominem rationalis anima, & caro conſtituunt.

Ad 3. Subſiſtentia non poſitivum aliquid, ſed negativum importat, ipſam ſcilicet incommu-

ni-

nicabilitatem, per quam creata natura concipitur non in alieno ſuppoſito, ſed in ſeipſa ſubſiſtere. Hujuſcemodi vero negatio ſeparata intelligitur tunc fuiſſe ab humana natura, ſtatim ac Verbi perſonalitas in Chriſti conceptione eandem aſſumpſit: non ergo humanæ naturæ deeſt eſſentialis ulla perfectio, quando per ineffabilem unionem divino Verbo conjungitur.

Poſtremo nulla contradictio eſt, quod diſpares ſubſtantiæ poſſint uniri, ſi una regatur, & perficiatur ab alia, ſicut in homine rationalis anima, & caro nectuntur. Unde ait S. Bonaventura in 3. d. 1. a. 1. q. 1. inter Deum, & hominem proportionem convenientiæ inveniri *ſecundum rationem inclinationis, & ordinis*, ob quam etiam *magis eſt anima unibilis corpori, quam ſit una anima unibilis alteri*. Addit præterea S. Thomas in 3. d. 1. q. 1. ad 4. quod *contraria numquam poſſunt uniri hoc modo, quod inſint eidem ſecundum idem: & ſic etiam nec creatura Creatori unitur; quia ſecundum Damaſcenum* lib. 3. de fide c. 3. *quod erat increabile, manſit increabile, & quod erat creabile, manſit creabile*.

Objiciunt 2. Si Verbum caro factum eſſet, facti etiam eſſent caro Pater, & Spiritus Sanctus: hi enim tres unam eandemque naturam habent, eademque exterius operantur. Atqui ſolus Filius dicitur incarnatus.

Reſp. quod unio, in quâ Incarnatio conſiſtit, facta non ſit in natura divina, in qua tres Perſonæ ſunt unum, ſed in Verbi perſona, quæ ab aliis eſt diſtincta realiter; & hæc ſola eſt, quæ humanam naturam ultimo terminat; ideoque ſolus Filius carnem dicitur aſſumpſiſſe. Item

in-

incarnatio quoad ea, quæ exteriora ſunt, & cauſam efficientem expoſtulant, a tribus utique Perſonis efficitur; at formaliter, ſive terminative ſolius eſt Verbi, quia ſolum Verbum humanam naturam per ſubſiſtentiam ſuam complet, ac terminat, eam ſibi hypoſtatica unione jungendo. Unde S. Bonaventura in 3. d. 1. a. 1. q. 2. ait, *quod incarnàtio, ſecundum quod dicit operationem, eſt communis tribus perſonis: ſed præter hoc importat relationem: ideo uni perſonæ ſine alia poteſt attribui. Et eſt exemplum: Si tres puellæ veſtiant unam veſtem, veſtis induitio eſt a tribus, non tamen tres induuntur, ſed una ſola. Similiter tres perſonæ operatæ ſunt incarnationem, & tamen una ſola dicitur incarnari.* Alia quæ hic opponi poſſunt argumenta, ex infra dicendis facillime diluentur.

CA-

CAPUT VI.

Ubi dubia pleraque ad hunc librum ſpectantia breviter declarantur.

TAlem nos inſtituti brevitatem elegimus, ut quæ alicujus momenti quæſtiones eſſe videntur, Tyrones noſtri non prorſus ignorent. Id ut præſtemus, hic 1. quærimus, an congruum fuerit, quod Deus humanam naturam aſſumeret? Qua in re cum Seraphico Doctore in 3. d. 1. a. 2. q. 1. reponimus, „ quod abſque dubio „ congruum fuit, & Deum decuit incarnari: „ Et hoc propter ſuæ potentiæ, & ſapientiæ, „ & bonitatis eminentem manifeſtationem; quæ „ quidem facta eſt in humani generis aſſum- „ ptione. Congruum etiam fuit propter divi- „ norum operum excellentem conſummationem; „ quæ quidem facta eſt in humani generis aſ- „ ſumptione, cum ultimum conjunctum eſt „ primo; ibi enim eſt perfectionis conſumma- „ tio, ſicut patet in circulo, qui eſt perfectiſ- „ ſima figurarum, qui etiam ad idem punctum „ terminatur, a quo incipit. Decebat etiam „ propter ſuperabundantem pretii ſolutionem ad „ liberationem hominis captivi; quia ſola per- „ ſona divina erat, quæ præponderabat toti hu- „ mano generi. Poſtremo decebat propter ſu- „ pereffluentem hominis glorificationem, ut „ non tantummodo inveniret homo in Deo „ paſcua interius, immo etiam paſcua exterius.

„ Et

„ Et ſic patet, quod opus incarnationis mul-
„ tum quidem per omnem modum Deo con-
„ gruebat, & quantum ad ejus infinitatem, &
„ quantum ad ejus perfectionem, & quantum
„ ad pietatem, & quantum ad liberalitatem.
„ Ad infinitatem in ſeipſo, ad perfectionem
„ in operando, ad pietatem in liberando, &
„ quantum ad liberalitatem in remunerando.“
Lege etiam Doctorem Angelicum in p. 3. q. 1. a. 1.

Quæritur 11. an quælibet ex tribus Perſonis carnem ſumere potuiſſet? Huic dubio S. Bonaventura affirmative reſpondet in 3. d. 1. a. 1. q. 4. atque ita id probat: „ Tantundem
„ diſtat creatura a perſona Filii, quantum a
„ perſona Patris, & Spiritus Sancti; ergo qua
„ ratione perſona Filii incarnari poteſt, di-
„ ſtantia non impediente, eadem ratione vi-
„ detur, quod etiam perſona Patris, & Spiri-
„ tus Sancti.

„ Item: Si perſona Filii poteſt incarnari, aut
„ eo ipſo quo eſt Filius, aut eo ipſo quo eſt per-
„ ſona. Non eo ipſo quo eſt Filius, quia Filius
„ ſolum dicit reſpectum ad Patrem, non ad
„ creaturam: ergo ſi poteſt incarnari, eo ipſo
„ quo eſt perſona divina; igitur cum Pater, &
„ Spiritus Sanctus ſit perſona divina, ſequitur
„ neceſſario, quod perſona Patris, & Spiritus
„ Sancti ita poſſit incarnari, ſicut perſona Fi-
„ lii.

Sed contra dices 1. Si Pater, vel Spiritus S. carnem aſſumeret, duo in Trinitate Filii ponerentur: atqui id abſurdiſſimum eſt. Deinde incarnari aliud non eſt, quam in carnem mitti; ut ait Apoſtolus ad Gal. 4. v. 4. & Auguſtinus in lib. 4. de Trin. c. 19. Atqui Pater ſicu-

ſicuti ab alio non eſt, ita ab alio mitti non poteſt. Tandem quod eſt proprium unius perſonæ, nequit alteri convenire: atqui incarnari eſt proprium Filii: nequit ergo alteri convenire.

Reſp. ad 1. cum Seraph. Doctore, „ quod „ iſta ratio procedit ſuppoſito, quod Deus non „ poſſit aliter aſſumere carnem, quin aſſumeret „ de muliere, tanquam ex matre: hoc autem „ eſt falſum, quia aliter poſſet Deus ſibi carnem aſſumere, ſi ſibi placeret. Præterea eſto, „ quod alia perſona aſſumpſiſſet carnem de Virgine, & eſſet filius Virginis, hoc in nullo „ derogaret Deo, quia nihil perderet ibi divina perſona.

Ad alterum cum eodem S. Doctore reponimus: „ Ad illud quod opponitur, quod incarnatio non eſt aliud, quam in carnem mitti, „ dicendum, quod verum eſt, prout incarnatio dicitur de Filio. Sed incarnari ſecundum „ ſuum intellectum generalem non dicit plus, „ quam uniri carni in unitate perſonæ. Et „ quamvis perſona Patris non poſſit mitti, poteſt tamen uniri.

Ad 3. reſpondet S. Doctor, „ quod ſicut ſi „ Petrus ſit unicus filius Pauli eſt proprium „ Petri, non quia non poſſit convenire alteri, „ ſed quia nunc non convenit alii. Sic etiam „ in propoſito intelligendum eſt, quod incarnari dicitur eſſe proprium perſonæ Filii, „ non quia alia perſona non poſſit carni uniri, ſed quia nulla alia perſona actualiter unitur carni a perſona Filii.

Licet autem quæcumque ex tribus Perſonis incarnari potuerit, uti communiter docuere Theo-

Theologi; congruentius tamen fuit, quod id. ſecunda Perſona præſtaret. Ut enim ait S. Bonaventura in 3. d. 1. a. 2. q. 3. „ Si loquamur „ de ipſa incarnatione in ſe, magis congruum „ fuit perſonam Filii incarnari, & inquantum „ eſt imago, & inquantum eſt Filius. Inquantum eſt imago, quia homo aſſumptibilis erat „ ratione dignitatis imaginis; & quia Filius „ eſt imago Patris, ideo magis conveniens erat Filii perſonam aſſumere carnem. Rurſus, „ quia Filius Dei Verbum eſt Patris, ſic procedit ab ipſo, ut Pater manifeſtet per ipſum; & ideo ſicut ad intentionis manifeſtationem verbum intellectuale copulatur voci „ ſenſibili; ſic ad Divinitatis revelationem Verbum Patris congruum fuit uniri carni. Poſtremo, quia Filius eſt ſemel genitus ab æterno, & ſic congruebat eum carnem aſſumere, ut eſſet de genere hominum, & ita „ hominis filium: & ideo decebat ipſum magis incarnari, quam Patrem, & Spiritum „ Sanctum.

„ Fuit etiam magis congruum, ſi loquamur „ de ipſa incarnatione ſecundum comparationem ad generis humani redemptionem: & „ hoc apparet, ſi conſideremus hominis lapſum, „ & reparandi modum, & reparationis fructum. „ Si conſideremus hominis lapſum, videbimus, „ quod lapſus fuit appetendo falſam Dei ſimilitudinem, & æqualitatem: & quia Filio „ primo attribuitur æqualitas, hinc eſt, quod „ quaſi ex ipſo ſumpſit homo lapſus occaſionem; & ideo inde ſumere debuit reparationem . . . Rurſus ſi conſideremus modum reparationis, magis competit Filio. Reparati „ enim

„ enim ſumus per Mediatoris obedientiam, & „ ſupplicationem: quia magis competit Filium „ ſupplicare Patri & obedire; hinc eſt, quod „ magis competit perſonæ Filii incarnari, quam „ alii . . . Poſtremo ſi conſideremus reparatio„ nis fructum, vel effectum, magis competebat Filio incarnari; quia incarnatio ad hoc „ ordinatur, ut ſimus filii Dei: ſi ergo poſterius per illud habet reduci, quod eſt prius „ in eodem genere, congruum fuit, ut filii „ Dei efficeremur per eum, qui eſt Filius naturalis.

III. Quæri poteſt, num plures divinæ Perſonæ poſſint unam numero naturam aſſumere? Huic difficultati Angel. Doctor occurrens in p. 3. q. 3. a. 6. ait, quod „ ex unione animæ „ & corporis in Chriſto non fit neque nova „ perſona, neque nova hypoſtaſis, ſed fit una „ natura aſſumpta in perſonam, vel hypoſta„ ſim divinam, quod quidem non fit per „ potentiam naturæ humanæ, ſed per poten„ tiam divinæ perſonæ. Eſt autem talis divi„ narum perſonarum conditio, quod una ea„ rum non excludit aliam a communione ejuſ„ dem naturæ, ſed ſolum a communione e„ juſdem perſonæ. Quia igitur in myſterio „ incarnationis tota ratio facti eſt potentia „ facientis, ut Auguſtinus dicit in Epiſt. 3. „ ad Voluſianum, magis circa hoc eſt judi„ candum ſecundum conditionem divinæ perſo„ næ aſſumentis, quam ſecundum conditionem „ naturæ humanæ aſſumptæ. Sic ergo non eſt „ impoſſibile divinis perſonis, ut duæ, vel „ tres aſſumant unam naturam humanam. Eſ„ ſet tamen impoſſibile, ut aſſumerent unam

„ hy-

„ hypoſtaſim, vel unam perſonam humanam, „ ſicut & Anſelmus dicit in lib. 2. Cur Deus „ homo c. 9. quod plures perſonæ non poſſunt „ aſſumere unum eundemque hominem, ſcili- „ cet in unitate perſonæ.

Oppones. Sanctorum Patrum, Scholæque Doctorum ſententia eſt, quod ex Dominica incarnatione ſequatur, quod quidquid de Dei Filio dicitur, dicatur etiam de filio hominis, & e converſo. Si ergo tres Perſonæ unam humanam naturam aſſumerent, ſequeretur, quod quidquid de qualibet trium perſonarum enunciatur, enunciaretur etiam de illo homine quem aſſumerent, & e converſo, quæ de illo homine enunciarentur, poſſent etiam de qualibet trium Perſonarum enunciari. Ergo id quod Patris eſt proprium, ſcilicet ab æterno Filium generare, non tantum de illo homine, ſed & de Dei Filio diceretur; quod ſane abſurdum eſt.

Reſpondet S. Thomas laudato in loco ad 3. „ quod circa myſterium incarnationis fit com- „ municatio proprietatum pertinentium ad na- „ turam: quia quæcunque conveniunt naturæ, „ poſſunt prædicari de perſona ſubſiſtente in „ natura illa, cujuſcunque naturæ nomine ſi- „ gnificetur. Prædicta igitur poſitione facta, de „ perſona Patris potuerunt prædicari & ea quæ „ ſunt humanæ naturæ, & ea quæ ſunt divinæ: „ & ſimiliter de perſona Filii, & Spiritus San- „ cti. Non autem id, quod conveniret perſo- „ næ Patris ratione propriæ perſonæ, poſſet „ attribui perſonæ Filii, aut Spiritus Sancti, „ propter diſtinctionem perſonarum, quæ re- „ maneret. Poſſet ergo dici, quod ſicut Pater

„ eſt ingenitus, ita homo eſſet ingenitus, ſe-
„ cundum quod ly homo ſupponeretur pro
„ perſona Patris. Si quis autem ulterius proce-
„ deret: Homo eſt ingenitus: Filius eſt ho-
„ mo: ergo Filius eſt ingenitus; eſſet fallacia
„ figuræ dictionis, vel accidentis: ſicut & nunc
„ dicimus Deum eſſe ingenitum, quia Pater
„ eſt ingenitus; nec tamen poſſumus conclu-
„ dere, quod Filius ſit ingenitus, quamvis ſit
„ Deus.“ Id manifeſtius apparebit ex dicen-
dis in libro ſequenti, dum de idiomatum com-
municatione tractabimus.

Notat præterea S. Thomas eodem in loco reſpondens ad 1. „ quod hac poſitione facta,
„ ſcilicet quod tres Perſonæ aſſumerent unam
„ humanam naturam, verum eſſet dicere, quod
„ tres Perſonæ eſſent unus homo propter unam
„ naturam humanam. Nec ly unus importaret
„ unitatem perſonæ, ſed unitatem in natura
„ humana. Non enim poſſet argui ex hoc,
„ quod tres Perſonæ ſunt unus homo, quod
„ eſſent unus ſimpliciter: nihil enim prohibet
„ dicere, quod homines, qui ſunt plures ſim-
„ pliciter, ſint unus quantum ad aliquid, pu-
„ ta, unus populus. Et ſicut Auguſtinus dicit
„ 6. de Trin. c. 3. diverſum eſt natura ſpiri-
„ tus Dei, & ſpiritus hominis, ſed inhærendo
„ fit unus ſpiritus, ſecundum illud 1. Cor. 6.
„ v. 17. *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt.*

Quæritur IV. an una perſona divina poſſit duas naturas aſſumere? Perſpicue S. Thomas difficultatem iſtam enodat in p. 3. q. 3. a. 7. ubi ait, „ quod illud quod poteſt in unum, &
„ non in amplius, habet potentiam limitatam
„ ad unum; potentia autem divinæ perſonæ

„ eſt

„ eſt infinita, nec poteſt limitari ad aliquid „ creatum. Unde non eſt dicendum, quod „ Perſona divina ita aſſumpſerit unam naturam „ humanam, quod non potuerit aſſumere aliam; „ videretur enim ex hoc ſequi, quod perſonalitas divinæ naturæ eſſet ita comprehenſa „ per unam naturam humanam, quod ad ejus „ perſonalitatem alia aſſumi non poſſit, quod „ eſt impoſſibile: non enim increatum à creato comprehendi poteſt. Patet ergo quod ſive conſideremus Perſonam divinam ſecundum „ virtutem, quæ eſt principium unionis, ſive „ ſecundum ſuam perſonalitatem, quæ eſt terminus unionis, oportet dicere, quod Perſona divina præter naturam humanam, quam „ aſſumpſit, poſſit aliam numero naturam humanam aſſumere.

Advertit inſuper S. Thomas eodem in a. ad 2., quod „ nominibus eſt utendum, ſecundum „ quod ſunt ad ſignificandum impoſita, quod „ quidem eſt ex conſideratione eorum, quæ apud nos ſunt: & ideo oportet circa modum „ ſignificandi, & conſignificandi conſiderare ea, „ quæ apud nos ſunt, in quibus nunquam nomen ab aliqua forma impoſitum pluraliter „ dicitur, niſi propter pluralitatem ſuppoſitorum. „ Homo enim, qui eſt duobus veſtimentis indutus non dicitur duo veſtiti, ſed unus veſtitus duobus veſtimentis, & qui habet duas „ qualitates, dicitur ſingulariter aliqualis ſecundum duas qualitates. Natura autem aſſumpta „ quantum ad aliquid ſe habet per modum indumenti, licet non ſit ſimilitudo quantum „ ad omnia: ... & ideo ſi Perſona divina aſſumeret duas naturas humanas, propter uni-

„ tatem ſuppoſiti diceretur unus homo habens „ duas naturas humanas.

V. Quæritur, num Deus irrationalem naturam aliquam aſſumere potuiſſet? Reſpondebimus affirmative cum communiori ſententia. Si enim divina Perſona tum ſecundum virtutem quæ eſt principium unionis, tum ſecundum ſuam perſonalitatem quæ unionis eſt terminus, limitata eſſe non poteſt; profecto conſequitur, quod abſolute loquendo poſſit Deus cujuslibet generis naturam, etiam irrationabilem, terminare. Neque indecorum eſt, idiomatum communicationem haberi Deum inter & creaturam ratione carentem; nulla enim res, quantumvis ſordida videatur, vel minima labe poteſt Divinitatem inficere. Unde Tertullianus de carne Chriſti c. 4. contra Marcionem, qui nativitatem in carne tanquam indignam Deo ridebat, ita ſcribit: *Si revera de lupa, aut ſue, aut vacca prodire voluiſſet, & feræ, aut pecoris corpore indutus regnum cœlorum prædicaret, tua, opinor, illi cenſura præſcriberet, Turpe hoc Deo, & indignum hoc Dei filio, & ſtultum propterea qui ita credat. Si plane ſtultum; de noſtro ſenſu judicemus Deum. Sed circumſpice Marcion, ſi tamen non deleſti. Stulta mundi elegit Deus, ut confundat ſapientiam.*

Quæri VI. poteſt, cur tam ſero in carne Chriſtus advenerit? Cujus quidem facti abſque præjudicio latentis conſilii Dei congruentiæ plures a Scholæ Doctoribus afferuntur. Hos inter S. Bonaventura in 3. d. 1. a. 2. q. 4. ſcribit, quod quadruplex aſſignari poſſit ratio, quare Dei Filius tamdiu incarnari diſtulerit. „ Prima eſt „ propter peccatum hominis puniendum. In „ hoc

„ hoc enim manifeſtatur divinæ ultionis ſeve-
„ ritas, quæ tantos clamores, & luctus homi-
„ num tanto tempore ſubſtinuit, antequam vel-
„ let deſcendere; & ipſe Adam cum poſteritate
„ ſua tanto tempore expectavit in limbo,
„ exulans a Paradiſo: & hoc propter manife-
„ ſtationem divinæ juſtitiæ, quæ nihil inultum
„ dimittit. Secunda ratio fuit propter morbum
„ melius curandum: morbus enim ſpiritualis
„ non curatur debite, niſi infirmus prius eum
„ cognoſcat, & pro curatione ejus gratus exi-
„ ſtat. Plus enim homo ægrotat per ingratitu-
„ dinem pro curatione, quam per culpæ com-
„ miſſionem. Et ideo debuit Deus beneficium
„ incarnationis differre, ut homo convinceretur
„ de impotentia, & ignorantia, antequam
„ incarnaretur, & in lege indita, & in lege
„ ſcripta; ut ſic convictus confugeret ad divi-
„ nam gratiam, & confugiens curaretur efficaciter. Tertia ratio eſt propter ordinem Univerſi ſervandum: quia enim hoc erat plenum, & maximum beneficium, differri debuit uſque ad plenitudinem dierum. Et propter hoc dicit Apoſtolus ad Gal. 4. *At ubi venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium &c.* Quarta ratio fuit propter incarnationis „ beneficium amplius commendandum, quod „ enim amplius differtur, & diutius deſideratur, pretioſius reputatur: & ideo beneficium „ incarnationis, quod eſt inter Dei beneficia „ pretioſiſſimum, prius debuit eſſe deſideratum, „ & expectatum, quam exhibitum. Et propterea magis congruum fuit, Filium Dei incarnari in fine temporum.

Ibidem vero Seraph. Doctor advertit, divi-

næ Incarnationis dilationem saluti hominum ab ipso mundi exordio nullatenus obfuisse. *Nam ipsa expectatio, & fides futuri adventus erat eis in remedium salutare, & subsistentationem, quo usque veniret ille, qui consummaret. Unde omni tempore fuerunt aliqua sacramenta, quæ attulerunt ægris remedium salutare; licet alia, & alia in diversis fuerint temporibus instituta.* Hoc idem antea docuerat Augustinus in epist. 102. alias 49. ad Deogratias q. 2. Lege Estium in 3. d. 1. §. 3. Lege etiam S. Thomam in p. 3. q. 1. a. 5.

III. Quæritur, num SS. Patres in V. T. incarnationem Christi aliquo modo meruerint? Reponimus cum Richardo de Mediavilla in 3. d. 4. de 3. principali q. 1. a. 1., „ quod incarnatio Filii Dei potest considerari vel quantum ad essentiam, vel quantum ad circumstantias. Primo modo dico, quod Filius Dei propter aliquod meritum naturam humanam non assumpsit, loquendo de merito simpliciter. Fundamentum enim omnis meriti non potest cadere sub merito: sed incarnatio Filii Dei semper fuit fundamentum omnis meriti post lapsum naturæ humanæ, inquantum sine fide ejus implicita, vel explicita nunquam potuit aliquis mereri vitam æternam: unde Augustinus in Enchir. c. penult. dicit, quod *nec antiquorum quicunque Justorum præter Christi fidem salutem potuit invenire*: ergo nulla creatura per se, nec omnes simul mereri potuerunt Filii Dei incarnationem... Si autem loquamur de prædicta incarnatione quantum ad circumstantias; hoc potest dupliciter esse, aut quantum ad circumstantiam

„ tiam temporis, aut perſonæ, in qua & de qua „ Filius Dei carnem humanam aſſumpſit. Primo modo dici poteſt, quod SS. Patres meruerunt, ut Filius Dei naturam humanam „ aſſumeret illo tempore, quo eam aſſumpſit. „ Ipſi enim flagrantiſſimis deſideriis, præſuppoſita incarnatione Filii Dei futura, meruerunt ejus acceleracionem. Secundo modo poteſt dici, quod ipſa Virgo Maria, quamvis „ merito condigni non meruit concipere Filium „ Dei, cum hoc omne meritum excedat; tamen præſuppoſita futuritione incarnationis Filii Dei, aliquo modo meruit, ut Jeſum Filium Dei conciperet, inquantum erat puriſſima, & in ſanctitate perfectiſſima, & *decebat*, ſecundum quod dicit Anſelmus lib. de concept. Virg. ultra medium, *ut illius hominis conceptio de Matre puriſſima fieret, ea puritate, qua major ſub Deo nequit intelligi*. „ Unde illud meritum, quo Beata Virgo meruit fieri Mater Dei, poteſt vocari meritum „ decentiæ, vel congruitatis, vel ſecundum „ aliquos, meritum dignitatis, & ſic de Virgine dicitur: *Beata viſcera, quæ meruerunt portare Dominum Chriſtum*.

Cum ergo omne meritum, ſive de condigno, ſive de congruo, gratiam præſupponat; gratia autem prædefinitam Incarnationem; profecto conſequitur, quod nulla prorſus creatura poſſit Incarnationem quoad ſubſtantiam promereri, ſicuti & gratiam promereri non poteſt. Idque non tantum de primo incarnationis decreto, ſed & de ipſa Incarnationis executione dicendum eſt; cum Incarnatio ſic accepta ſit omnis gratiæ, meritique principium; neque ulla SS.

Pa-

Patrum merita ante Incarnationem prævideri a Deo potuerint. Meruerunt autem illi extrinſecas quaſdam circumſtantias, ac præſertim, quod Dei Filius ſuum acceleraret adventum, & ex ipſorum populo naſceretur. Nam mente concipimus, Deum primo Incarnationis ſubſtantiam, quæ eſt principium meriti, decreviſſe, deinde decrevisſe, ac prævidiſſe merita Patrum, ac tandem eorum intuitu ſtatuiſſe, quod Verbum ex Davidica ſtirpe carnem aſſumeret, & aſſumere feſtinaret. Sicque etiam B. Virgo de congruo meruit, ut ex ipſa potius, quam ex alia, Dei Filius oriretur. An vero Chriſtus hypoſtaticam ſibi meruerit unionem, expendendum inferius erit, dum de Chriſti merito diſſeremus, ubi etiam quæſitum iſtud manifeſtius exponetur.

VII. Inter Scholaſticos diſputatur, num etſi homo non peccaſſet, Verbum adhuc in carne veniſſet? Negant Thomiſtæ cum Angel. Doctore in p. 3. q. 1. a. 3. Affirmant vero Scotiſtæ cum Subtili Doctore in 3. d. 7. q. 3., eandemque ſententiam jam ante docuerant Alexander Alenſis in 3. p. q. 1. membro 13., & Albertus Magnus in 3. d. 1. a. 4. Et Scotus quidem citato in loco hæc habet: „ Sine præjudicio dici po„ teſt, quod cum prædeſtinatio cujuſcumque „ ad gloriam præcedat ex parte objecti natu„ raliter, præſcientiam peccati, vel damnatio„ nis cujuſcumque ... (*recolenda hic ſunt quæ* „ *diximus in lib. 6. c. 10. propoſ. 3.*): multo ma„ gis eſt verum de prædeſtinatione illius ani„ mæ, quæ prædeſtinabatur ad ſummam glo„ riam: Univerſaliter autem ordinate volens „ prius videtur velle hoc quod eſt fini propin„ quius,

„ quius, & ita ſicut vult prius gloriam alicui,
„ quam gratiam ; ita etiam inter prædeſtina-
„ tos, quibus vult gloriam ordinate, prius vi-
„ detur velle gloriam illi, quem vult eſſe pro-
„ ximum fini, & ita huic animæ Chriſti vult
„ gloriam prius, quam alicui alteri velit glo-
„ riam, & prius cuilibet alteri vult gratiam,
„ & gloriam, quam prævideat oppoſita iſto-
„ rum habituum, ſcilicet gratiæ, & gloriæ,
„ ſcilicet peccatum, & damnationem. Ergo a
„ primo prius vult animæ Chriſti gloriam,
„ quam prævideat Adam caſurum.“ Ergo etſi non cecidiſſet Adam, adhuc Chriſtus in carne veniſſet.

At opponunt 1. Thomiſtæ non paucos Scripturæ contextus, ex quibus oſtendi videtur, non aliam Dominicæ Incarnationis cauſam extitiſſe, quam peccati remedium. Ita Matth. 18. v. 11. ait ipſe Chriſtus: *Venit enim Filius hominis ſalvare quod perierat.* Et Lucæ 5. v. 32. *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Denique Joan. 3. v. 17. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut judicet mundum ; ſed ut ſalvetur mundus per ipſum.* Idem quoque alibi ſæpe Scriptura nos docet, cui ſubſcribunt & Patres. Nam Irenæus in lib. 5. c. 14. ait: *Si non haberet caro ſalvari, nequaquam Verbum Dei caro factum eſſet.* Athanaſius orat. 2. contra Arianos: *Verbum nequaquam homo factum fuiſſet, niſi cauſam præbuiſſet hominum neceſſitas.* Ac poſtremo, ut de aliis ſileamus, Nazianzenus orat. 36. ſic ait: *Quæ humanitatis a Deo propter nos ſuſceptæ cauſa extitit? Profecto, ut nobis ſalus pararetur. Quid enim aliud cauſæ afferri poſſit?* Ergo venit Chriſtus ad redimen-

dum

dum genus humanum, nec advenisſet, ſi permaniſſet Adam in gratia.

Sed Ven. Scotus laudato in loco reponit, quod „ omnes auctoritates poſſunt exponi ſic, ſcili„ cet quod Chriſtus non veniſſet ut Redemptor, „ niſi homo cecidiſſet; neque forte, ut paſſi„ bilis; quia non fuit aliqua neceſſitas, ut il„ la anima a principio glorioſa, cui Deus præ„ optavit non tantum ſummam gloriam, ſed „ etiam coævam illi animæ, quod unita fuiſ„ ſet corpori paſſibili, niſi redemptio fuiſſet „ facienda. Sed nec redemptio fuiſſet facienda, „ niſi homo peccaſſet. Sed non propter ſolam „ iſtam cauſam videtur Deus prædeſtinaviſſe „ illam animam ad tantam gloriam; cum illa „ redemptio, ſive gloria animæ redimendæ non „ ſit tantum bonum, quantum eſt illa gloria „ animæ Chriſti: nec eſt veriſimile, tam ſum„ mum bonum in entibus, eſſe tantum occaſio„ natum, ſcilicet propter minus bonum: nec „ eſt veriſimile, Deum prius præordinaviſſe A„ dam ad tantum bonum, quam Chriſtum, quod „ tamen ſequeretur: imo ulterius ſequeretur ab„ ſurdius, ſcilicet quod Deus prædeſtinando Adam „ ad gloriam, prius prævidiſſet ipſum caſurum in „ peccatum, quam prædeſtinaſſet Chriſtum ad „ gloriam, ſi prædeſtinatio illius animæ tan„ tum eſſet pro redemptione aliorum, quia „ redemptio non fuiſſet, niſi caſus, & deli„ ctum præceſſiſſet.

Arbitrantur ergo Scotiſtæ, quod Scriptura, & Patres idcirco frequentius pro Incarnationis motivo peccatum aſſignent, quia de hoc Myſterio agunt quoad executionem, & de modo quo illud reipſa peractum eſt; in carne nempe paſ-

passibili & mortali, postquam homo peccavit. Nam ratio isthæc est nobis utilior ad considerandam peccati malitiam, simulque ad celebrandam inæstimabilem divinæ charitatis dilectionem, qua ut servum redimeret, Filium tradere non dubitavit. Altior autem, minusque necessaria est illa Incarnationis cognitio, quæ ad solum intentionis ordinem pertinet, & de qua multiplex est Scholasticorum opinio. Ita similiter dum Scriptura, & Patres de prædestinatione ad gloriam agunt, docere videntur, illam ex nostris meritis, velut ex unica & adæquata causa, dependere; non quia intentivum prædestinationis decretum inficientur, sed quia de executivo decreto loquuntur, quod humanæmenti magis est accommodatum, magisque saluti nostræ conducit; uti notavimus in lib. 6. c. 6. Sed si subtilissimam quæstionem investigare profundius Candidati nostri voluerint, adeant P. Mastrium in 3. disp. 4. q. 1., ubi per plures articulos Ven. Scoti, ejusque discipulorum mentem prolixe declarat, ac multiplici ratione defendit. Legendus est denique S. Bonaventura in 3. d. 1. a. 2. q. 2., ubi sententiam affirmantem *subtiliorem* appellat, ac *magis consonare judicio rationis* affirmat; negativam vero sententiam etsi non ita *subtilem* existimet, plus tamen consonare *pietati fidei* arbitratur.

VIII. Potest inquiri, an Angeli mysterium Incarnationis agnoverint? Respondemus, quod Angeli, tum boni, tum mali, per naturæ vires neque noverint, neque nosse potuerint Incarnationis Christi Mysterium, cujus possibilitas, & existentia cum nulla naturali causa, aut effectu connectitur. Quod vero ad cognitionem per-

pertinet, quæ per revelationem habetur, aſſerimus, SS. Angelos, etiam ante Chriſti mortem, certo ac manifeſte Incarnationis myſterium agnoviſſe; ita enim ex Scriptura non obſcure colligitur. Nam Lucæ 2. v. 10. ait Angelus ad paſtores: *Ecce evangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo: quia natus eſt vobis hodie Salvator, qui eſt Chriſtus Dominus.* Legitur & Matth. 4. v. 11. *Ecce Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* Tum Lucæ 1. v. 31. ita Gabriel Mariam affatur: *Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Hic erit magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.* Denique Paulus ad Hebr. 1. v. 6. ſcribit: *Cum introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Hic vero cum S. Bonaventura in 3. d. 2. dub. 4. notandum eſt, quod Angeli *melius cognoverunt* Incarnationis myſterium *poſt Filii exaltationem, & veritatis prædicationem, quibus explicita, & manifeſtata eſt multiformis Dei ſapientia.*

De deſertoribus autem Angelis ſcribit Angel. Doctor in 3. p. q. 41. a. 1. ad 1., quod „ ſicut Auguſtinus dicit in 9. de C. D. c. 21. „ *Chriſtus tantum innotuit dæmonibus, quantum* „ *voluit; non per id, quod eſt vita æterna, ſed* „ *per quædam temporalia ſuæ virtutis effecta:* „ ex quibus quandam conjecturam habent Chri„ ſtum eſſe Filium Dei, Sed quia rurſus in „ eo quædam ſigna humanæ infirmitatis vide„ bant, non pro certo cognoſcebant, eum eſſe „ Filium Dei: & ideo eum tentare voluerunt. „ Et hoc ſignificatur Matth. 4. ubi dicitur, „ quod *poſtquam eſuriit, acceſſit Tentator ad* „ *eum,*

„ *eum*. Quia, ut Hilarius dicit ſuper Matth. „ c. 3., *tentare Chriſtum diabolus non fuiſſet* „ *auſus, niſi in eo, per eſuritionis infirmitatem,* „ *quæ ſunt hominis recognoſceret*. Et hoc etiam „ patet ex ipſo modo tentandi, cum dixit: „ *Si Filius Dei es*. Quod exponens Ambroſius „ dicit in Lucæ c. 4. *Quid ſibi vult talis ſer-* „ *monis exordius, niſi quia cognoverat Dei Fi-* „ *lium eſſe venturum, ſed veniſſe, per hanc in-* „ *firmitatem corporis, non putabat?*" Licet ergo dæmones ingenii ſui acie ex miraculis, quæ Chriſtus operabatur, ut ſe Deum eſſe probaret, inferre facile potuiſſent illum reipſa talem eſſe, cum nequeat Deus in confirmationem erroris operari miracula; occulto tamen providentiæ ſuæ fine prohibuit Deus, ne id certo cognoſcerent. Ut enim adnotat S. Thomas in 3. p. q. 29. a. 1. ad 3. *Sicut Auguſtinus dicit in* 3. *de Trin. c.* 7. *&* 8., *diabolus multa poteſt virtute ſuæ naturæ, a quibus tamen prohibetur virtute divina*.

Temporis vero progreſſu, poſt Chriſti nempe mortem & reſurrectionem, pro certo dæmones habuerunt, quod Chriſtus ſit Dei Filius naturalis. Unde Seraph. Doctor in 3. d. 23. a. 2. q. 3. ait, quod *quantum ad articulos ſpectantes ad humanitatem eſt in eis cognitio acquiſita per multa miracula, & experimenta, & quaſi extorta neceſſitate quadam. Dum enim dæmones vident aperte eos, qui Chriſtum credunt, & ei conformantur, non poſſe damnari; manifeſta ratione cognoſcunt credere fidem credentium in Chriſtum veram eſſe: ac per hoc per conſequens credunt omnia eſſe vera, quæ Chriſtiani credunt*.

Quod ſi quæſieris, an Adæ antequam peccaret,

ret, Incarnationis myſterium fuerit revelatum; reſpondebimus cum S. Thoma in 2. 2. q. 2. a. 7., quod *ante ſtatum peccati homo habuit explicitam fidem de Chriſti Incarnatione, ſecundum quod ordinabatur ad conſummationem gloriæ, non autem ſecundum quod ordinabatur ad liberationem a peccato per Paſſionem, & Reſurrectionem: quia homo non fuit præſcius peccati futuri. Videtur autem Incarnationis Chriſti præſcius fuiſſe per hoc, quod dixit:* Propter hoc relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ; *ut habetur Gen. 2. Et hoc Apoſtolus ad Epheſ. 5. dicit*: Sacramentum magnum eſſe in Chriſto, & in Eccleſia. *Quod quidem ſacramentum non eſt credibile, primum hominem ignoraſſe.* Recole quæ ex S. Bonaventura lib. 11. c. 1. verſus finem adduximus. Denique quod Incarnationis myſterium innotuerit Patriarchis, Prophetis, aliiſque Viris ſanctitate conſpicuis, ex pluribus Scripturæ textibus evidenter apparet; Lege Gen. 22. v. 18., & 26. v. 4., & 49. v. 10. Item Jobi c. 19. v. 25. Joan. 5. v. 39. &c.

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS

LIBER XIX.

Agit de humana natura, ejusque partibus, quas Dei Verbum assumpsit.



Um de Incarnationis existentia satis huc usque dixerimus, ut rectus disputationis ordo servetur, differere nunc oportet de humana natura, ejusque partibus, quas sibi Dei Verbum mirabili unione conjunxit; ipsumque præstat unionis modum breviter, ac perspicue declarare. Esto igitur

CAPUT I.

Quod Dei Verbum carnem aſſumpſerit non phantaſticam, ſed veram, & ex Maria Virgine procreatam.

PRopoſitio 1. Dei Verbum veram corporeamque carnem aſſumpſit. Eſt de fide contra Marcionitas, Manichæos, Priſcillianiſtas, alioſque, qui non aliud Chriſto corpus, niſi phantaſticum tribuerunt.

Probatur ex perpetua Eccleſiæ doctrina, quam in Scripturis apertiſſime declaratam habemus. Si enim Chriſtus non veram ſed phantaſticam carnem aſſumpſit, jam nec vera fuit ejus ex matre nativitas, nec veræ fuerunt actiones & paſſiones humanæ; ut locutio, ambulatio, ſomnus, fletus, fames, ſitis, crucifixio, ipſa etiam mors: quæ ſane omnia nobis ſacræ literæ tanquam vera recenſent. Denique nec vera fuit reſurrectio, nec vera in Cœlum aſcenſio, falſumque erit illud Lucæ 24. 34. *Surrexit Dominus vere*: neque illud verum erit Iſaiæ 53. 4. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit*.

Vana inſuper erit tota illa Apoſtoli ratiocinatio in 1. ad Cor. c. 15. qua reſurrectionem noſtram ex Chriſti reſurrectione intendit adſtrue-

ſtruere. Quin potius verum erit quod ibidem v. 14. tanquam abſurdum adducit: *Si Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra, &c.*

Conſequens erit etiam, quod Chriſtus falſus erit reſurrectionis ſuæ teſtis, quando ad eam probandam illis uſus eſt verbis Lucæ 24. 39. *Videte manus meas, & pedes, quia ego ipſe ſum: palpate, & videte: quia ſpiritus carnem, & oſſa non habet, ſicut me videtis habere.* Quæ profecto verba Manichæorum inſaniam manifeſte refellunt; denotant enim, quod Chriſtus & ante & poſt reſurrectionem non phantaſticam (qualem ſe diſcipuli videre putabant ajentes, Matth. 14. 26. *Quia phantaſma eſt.*), ſed veram carnem habuerit.

Hinc Tertullianus in lib. 4. contra Marcionem c. 43. adducto textu quem mox citavimus, ita hæreticum inſectatur: *Cur autem inſpectui eorum manus & pedes ſuos offert, quæ membra ex oſſibus conſtant? Si oſſa non habebat, cur adjecit, Et ſcitote quia ego ſum, quem ſcilicet corporeum retro noverant? Aut ſi phantaſma erat uſquequaque, cur illos phantasma credentes increpabat? Atquin adhuc eis non credentibus propterea cibum deſideravit, ut ſe oſtenderet etiam dentes habere.* Simili argumento utitur Auguſtinus ſerm. 75. alias 22. de diverſis c. 7.

Ingenioſa poſtremo eſt argumentatio, quam idem Tertullianus inſtituit ex verbo, *Exſpiravit*, quo Lucas 23. 46. mortem indicat Salvatoris. Vel enim exſpiravit caro ſpiritum, & caro utique fuit: vel ſi caro non fuit, ſed phantaſma carnis, cum phantaſma nihil ſit aliud, quam corpus umbratile confictum a ſpiritu; dum ipſe

ſpiritus exſpirando diſceſſit, neceſſe eſt, ut etjam phantaſma diſcederet. *Nihil ergo*, inquit lib. 4. c. 42., *remanſit in ligno: nihil pependit etiam poſt exſpirationem: nihil de Pilato poſtulatum: nihil de patibulo detractum: nihil ſindone involutum: nihil ſepulcro novo conditum. Atquin non nihil. Quid igitur illud erat? Si phantaſma, adhuc ergo inerat & Chriſtus. Si diſceſſerat Chriſtus, ergo abſtulerat phantaſma. Supereſt impudentiæ hæreticæ dicere phantaſma illic phantaſmatis remanſiſſe.*

Propoſitio 2. Verbum non e Cœlo carnem detulit, ſed materna traxit ex carne. Eſt præcipue contra Valentinum, qui ex Epiphanio hæreſi 31. aſſeruit, *hunc*, Jeſum ſcilicet, *e cœlo detuliſſe corpus, ac per Mariam Virginem, velut aquam per canalem, tranſiſſe, nec ex ejus utero quidquam ſumpſiſſe.*

Probatur ex plurimis Scripturæ locis, in quibus Chriſtus Filius hominis appellatur; non enim Filius hominis dici poteſt, qui ex alterius hominis ſubſtantia ſuam non deducit originem. Hinc Matth. 1. v. 16. Chriſtus natus dicitur de Maria: *De qua natus eſt Jeſus, qui vocatur Chriſtus*. Et Galat. 4. v. 4. dicitur factus ex muliere: *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere*. Et ad Rom. 1. v. 4. *Qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem*. Hinc & Matthæus c. 1. Chriſti genealogiam duxit uſque ad Abraham: Lucas vero c. 3. eam ad Adam uſque protraxit. Deinde Maria paſſim Mater Jeſu vocatur: ita autem vocari non poſſet, ſi non fuiſſet ex ea conceptus, & natus, nihilque de ipſa ſumpſiſſet.

Notat præterea S. Thomas in p. 3. q. 5. a. 2.,

2., quod *ſicut veritas humanæ naturæ non ſalvaretur in Chriſto, ſi corpus ejus eſſet phantaſticum, ut poſuit Manichæus; ita etiam non ſalvaretur, ſi poneretur cœleſte, ut poſuit Valentinus. Cum enim forma hominis ſit quædam res naturalis, requirit determinatam materiam, ſcilicet carnem, & oſſa quæ in definitione hominis poni oportet*; & quibus terrenum corpus efficitur. Accedit inſuper, quod cum cœleſte corpus paſſioni, & corruptioni obnoxium eſſe non poſſit; *ſi Filius Dei corpus cœleſte aſſumpſiſſet, non vere eſuriiſſet, nec ſitiſſet, nec etiam paſſionem, & mortem ſuſtinuiſſet*. Tandem *cum Filius Dei ſe hominibus oſtenderit, quaſi corpus carneum, & terrenum habentem, fuiſſet falſa demonſtratio, ſi corpus tale ſe habuiſſet*. Eadem fere leguntur etiam apud S. Bonaventuram in 3. d. 2. a. 2. q. 1.

Objiciunt 1. Phantaſiaſtæ. Apoſtolus ad Philip. c. 2. v 7. de Chriſto ſcribit: *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo*. Ergo nonniſi ſpecie tenus humanum corpus ille geſtavit. Unde & ad Rom. 8. v. 3. legitur: *Miſit Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati*. Denique in 1. ad Cor. 15. v. 50. *caro* damnatur: *Caro & ſanguis regnum Dei poſſidere non poſſunt*. Non ergo Verbum veram carnem aſſumpſit.

Reſp. ad 1. cum S. Ambroſio, *ſimilitudinem, & habitum* ipſam humanæ naturæ ſubſtantiam importare. Scribit enim S. Doctor in epiſt. 46. ad Sabinum: *Nec ſibi blandiatur virus Apollinaris, quia ita legitur, Et ſpecie inventus ut homo. Non enim negatus eſt homo Jeſus; cum alibi ipſe Paulus de eo dicat, Mediator Dei & hominum, homo Chriſtus Jeſus; ſed confirmatus*

est. Id enim est usus & moris Scripturæ sic significare. Sicut & in Evangelio legimus: Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre. Sicut ergo quasi Unigenitus Dei Filius, ita quasi homo dicitur, & perfectio fuisse in eo hominis non negatur. Deinde Gen. 5. v. 3. legitur, quod Adam genuerit Seth *ad similitudinem suam*; ideſt ſibi conſubſtantialem, ſive ſimilem in natura. Ita & Jacobi 5. v. 17. Elias dicitur homo *similis vobis*. Non ergo ſimilitudo naturalem ſubſtantiæ veritatem ſemper excludit; nam & viventis generatio vulgo deſcribitur, *Origo viventis a vivente in ſimilitudinem naturæ*.

Ad alterum reponimus, quod ſimilitudo non carnem reſpiciat, ſed peccatum. Ut enim ſcribit Auguſtinus in epiſt. 164. ad Evodium c. 7. *Sumpſit* Chriſtus *ex Virgine veram quidem carnis ſubſtantiam, non tamen peccati carnem, quia non ex carnali concupiſcentia, ſive ſeminatam, ſive concepiam; mortalem ſane, ac per ætates mutabilem, tanquam carni peccati ſine peccato ſimillimam*.

Ad 3. reſpondet idem Auguſtinus in lib. de vera Relig. c. 12. *Per peccatum vita hominis carnalis & terrena efficitur, & ob hoc etiam terra & caro nominatur: & quandiu ita eſt, regnum Dei non poſſidebit*. Ita carnis nomen accipitur Gen. 6. v. 3. & alibi. Præterea cum ibidem de corpore reſurgentium loquatur Apoſtolus, per *carnem & ſanguinem* fragile ac mortale corpus intelligit, ut idem Auguſtinus oſtendit contra Adimantum c. 12.

Abuſi ſunt etiam Manichæi illis Apoſtoli verbis ex 2. ad Cor. 5. v. 16. *Et ſi cognovimus*

mus ſecundum carnem Chriſtum, ſed nunc jam non novimus. Quaſi quod Paulus affirmaſſet, ſe priorem correxiſſe ſententiam, qua Chriſtum veram carnem habuiſſe falſo putaverat.

At Paulus id ſolum aſſerit, quod etſi Chriſtum aliquando noverimus ſenſibili viſione, & carnis affectu, dum corporaliter cum hominibus verſabatur; nunc vero eminentiori ſcientia, & ſpirituali per eidem affectu cognoſcimus. Quo in ſenſu Auguſtinus exponens ea Chriſti verba: *Expedit vobis, ut ego vadam*, tract. 94. in Joan. ait: *Expedit vobis, ut hæc forma ſervi auferatur a vobis: caro quidem factum Verbum habito in vobis; ſed nolo me carnaliter adhuc diligatis, & iſto lacte contenti ſemper infantes eſſe cupiatis.* Conſule Doctorem Angel. lect. 4. in objectum locum.

Objiciunt 2. Indubium eſt, aut ipſum Dei Filium, aut Angelos in veteri Teſtamento hominibus apparuiſſe; cum tamen nullum verum corpus habuerint, aut ſaltem non proprium illi geſtaverint. Non ergo ad probandam carnis Chriſti veritatem tenet argumentum, quod ut homo apparuerit, atque ſe tractandum Apoſtolis, aliiſque præbuerit. Sentiunt deinde complures, quod poſſint ſpiritus præſtare effecta corporibus omnino ſimilia per ſolam circumſtantis aeris motionem. Ergo.

Reſp. cum Auguſtino in lib. 29. contra Fauſtum c. 4. potuiſſe quidem, ſed noluiſſe, Dei Filium loqui & apparere hominibus, quamvis in carne non natum: *& hoc melius eſt quod voluit. Hoc autem eum voluiſſe ideo certum eſt, quia hoc fecit ... Hoc vero eum feciſſe ideo non dubitamus, quia non cuiquam hæretico, ſed ejus*

Evangelio credimus. In hoc enim Chriſti genealogia, nativitas, infantia, paſſio, mors, reſurrectio, & hujuſcemodi plurima recenſentur, Retorqueri inſuper argumentum poteſt, quoniam corpora, in quibus olim, ſive Dei Filius, ſive Angeli apparuerant, etſi aſſumpta, & non nata, vera tamen ac ſolida fuiſſe quamplurimi tradiderunt, quos inter eſt Auguſtinus ſerm. 12. alios 16. *de diverſis*, & alibi. Reponimus etiam, quod vel ipſi Angeli ſe aeria, & ſubtilia geſtare corpora demonſtrarunt; unde Raphael ad Tobiam ait c. 12. v. 19. *Videbar quidem vobiſcum manducare, & bibere: ſed ego cibo inviſibili, & potu, qui ab hominibus videri non poteſt, utor*. Chriſtus autem ſe verum hominem ubique ac ſemper exhibuit, & probavit.

Poſtremo quidquid ſit de ea Philoſophorum opinione, dicendum eſt, imaginariam ſpiritus apparitionem adhuc a vera ſecerni, quod in illa corpus phantaſticum indifferenter ab omnibus non videtur, ſed dumtaxat ab iis, in quibus radiorum flexione imaginaria viſio excitatur: ideoque in veris apparuere corporibus tam Angeli, qui a tota Abrahami, Lot, ac Tobiæ familia eodem ſenſu videbantur, quam Chriſtus, quem omnes conſpexerunt, tetigerunt, palparunt affectum eadem oris forma, eadem extenſione membrorum, eademque corporis ſoliditate: atque hunc præcipue, qui, cum ſit *Veritas*, conteſtatus eſt ſe hominem eſſe, non ſpiritum: quod de nullo Angelorum divina tradiderunt eloquia.

Objiciunt 3. Etſi dare velimus corpus aliquod Chriſto fuiſſe, illud tamen ex Virgine pro-

procreatum dici non poteſt. Ipſe enim Chriſtus matrem ſuam negat eſſe Mariam; nam illa interpellante, ut aquam in vina converteret, tanquam fœminæ nullo ſibi carnis vinculo conjunctæ reſpondit, Joan. 2. v. 4. *Quid mihi, & tibi eſt mulier?* Et Matth. 12. v. 48. cuidam dicenti, quod a matre ac fratribus ſuis quæreretur, repoſuit: *Quæ eſt mater mea, & qui ſunt fratres mei?* Præterea Lucæ 2. v. 28. cum pia quædam mulier exclamaret: *Beatus venter, qui te portavit;* ille reſpondens ait: *Quinimo beati, qui audiunt verbum Dei.* In cruce denique moriturus ita Virginem allocutus eſt Joan. 19. v. 26. *Mulier, ecce filius tuus.* Ex quibus appareret, negaſſe Chriſtum, quod a Maria Virgine fuerit generatus.

Reſp. ad 1. quod Joannes eodem in cap. v. 1. 3. & 5. Mariam Chriſti matrem diſertis verbis appellat: *Erat mater Jeſu ibi: Dicit mater Jeſu ad eum: Dicit mater ejus miniſtris.* Quia vero virtus patrandi miracula non a matre Chriſtus acceperat per temporalem generationem, ſed a Patre per generationem æternam; idcirco reſpondit: *Quid mihi &c.* Lege S. Auguſtinum tract. 8. in Joan. n. 9.

Neque in altero Matthæi textu Chriſtus matrem fratreſque ſe habere negavit; ſed emendare voluit falſam Judæorum opinionem, qui illum communi aliorum hominum more ex matre genitum fuiſſe putabant. Addit etiam Tertullianus in lib. de carne Chriſti c. 7., quod *Deum prædicans, & probans Chriſtus, legem & Prophetas adimplens, tanti retro ævi caliginem diſpergens non indigne uſus eſt hoc dicto ad percutiendam incredulitatem foris ſtantium, vel ad*

ex.

excutiendam importunitatem ab opere revocantium. Denique ibi Chriſtus oſtendit, quod qui voluntatem Dei faciunt, præferendi ſint parentibus fratribuſque carnalibus; uti ex contextu colligitur: per quod etiam explicatur objectus ex Luca textus c. 2.

Joannes autem c. 19. v. 25. & 26. Mariam Chriſti matrem fuiſſe demonſtrat: *Stabat juxta crucem Jeſu mater ejus*: *Cum vidiſſet ergo Jeſus matrem*. Et Chriſtus eam Joanni commendans, agnovit *matrem morituras, de qua fuerat mortaliter natus*; quia *humana jam patiens, ex qua fuerat factus homo, affectu commendabat humano*; uti ſcribit Auguſtinus tract. 19. in Joan.

Poſtremo notamus idcirco in Evangelio non haberi, quod Chriſtus B. Virginem conceptis verbis matrem ſuam appellaverit, quia, ut Epiphanius ait hæreſi 79., quidam fortaſſe errandi occaſionem inde ſumpſiſſent; & *quia*, uti ſcribit Auguſtinus, vel quiſquis ſit Auctor libri de Fide contra Manichæos c. 25., *exemplo ſuo docebat negandos eſſe terrenos parentes propter Deum. Opera enim divina facienti terrenus affectus obſtrepere non debebat*. Ceterum non obſcure hanc maternitatis in ea dignitatem oſtendit, quum ſe paſſim *filium hominis* eſſe dixit, neque unquam B. Virginem ſolo *Mariæ* nomine nuncupavit.

Objiciunt 4. ea Baptiſtæ verba Joan. 3. v. 31. *Qui de terra eſt, de terra loquitur. Qui de cœlo venit, ſuper omnes eſt*. Scribit & Paulus in 1. ad Cor. 15. v. 47. *Primus homo de terra terrenus, ſecundus homo de cœlo cœleſtis*. At in priori ſententia tantum innuitur, quod qui non aliam quam ex terra originem habet, ex ſemet-

ipſo

ipſo non loquatur niſi humalia & terrena; qui vero cœleſtem, ideſt divinam habet originem, ut eſt Chriſtus Dei Filius, ex ſemetipſo ſive ex propria natura habet, ut cœleſtia, ac divina loquatur.

Poſterior vero textus oſtendit, quod Chriſtus qui ratione divinæ originis eſt de cœlo, per reſurrectionem factus eſt cœleſtis ſecundum glorioſi corporis qualitates: unde ſubjungitur v. 48. *Qualis cœleſtis, tales & cœleſtes*; nempe omnes Electi. *Cum* enim ille *apparuerit, ſimiles ei erimus*: inquit Joannes in epiſt. 1. c. 3. v. 2. Et *reformabit corpus humilitatis noſtræ, configuratum corpori claritatis ſuæ*: uti ſcribit Apoſtolus ad Philip. 3. v. 21.

CA-

CAPUT II.

Ubi quædam circa Christi corpus dubia paucis exsolvuntur.

PLura de Christi corpore quærunt Theologi: nos quæ hujusce operis instituto conveniunt, breviter exponemus. Primum itaque videamus, an Christi corpus corruptibile sit dicendum? Mota fuit quæstio isthæc seculo sexto inter Julianum Halicarnassensem, & Severum Monachum, non infimos Eutychianæ hæresis sectatores. Ille incorruptibilem Christi carnem ante passionem asseruit; quia secundum Eutychiana principia, absorptam penitus a Verbo putabat: iste vero corruptibilem affirmavit; quia naturarum proprietates in Christo distinguebat, licet ipsas naturas cum Eutychete confunderet. Qui priorem sententiam secuti sunt, *Incorrupticolæ*, & ex græco vocabulo *Aphthartodocitæ* sunt dicti; qui vero secundam, *Corrupticolæ* fuere vocati.

At sepositio Eutychianorum errore, quæstio breviter expeditur, si duplicem sensum in *corruptionis* vocabulo distinguamus. Alia enim *corruptio* est, per quam anima a corpore divellitur, atque corpus ipsum alterationi subjicitur, unde fames, sitis, fatigatio, angor, aliæque hujusce modi passiones emanant. Alia autem est *corruptio*, per quam corpus in elementa dissolvitur, ac tabe macieque fœdatur.

Ju-

Juxta igitur priorem ſignificationem Chriſti corpus corruptibile dicendum eſt. Legimus enim Matth. 4. v. 5. Chriſtum eſuriiſſe, Joan. 4. v. 6. fatigatum fuiſſe ex itinere, Marci 14. v. 33. cœpiſſe pavere, & tœdere, Lucæ 23. v. 46. exſpiraſſe, & ad Hebr. 4. v. 15. fuiſſe *tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*.

Reponebant Incorrupticolæ, Chriſtum etiam poſt reſurrectionem manducaſſe ac bibiſſe; paſſum vero, & contriſtatum, non conditione carnis aſſumptæ, ſed diſpenſatione divina.

At Chriſtus poſt reſurrectionem œconomia quadam ac diſpenſatione manducavit & bibit, ut corporis ſui veritatem oſtenderet; antea tamen naturali affectione id præſtitit: nullibi enim Scriptura teſtatur Chriſtum poſt reſurrectionem ſuam manducaſſe eſurientem, aut ſitientem bibiſſe, ſicut id de Chriſto ante paſſionem ac mortem affirmat. Naturaliter etiam fatigatum, contriſtatum, ac paſſum eadem Scriptura demonſtrat, dum docet fatigatum ex itinere, triſtatum ob carnis imbecillitatem, atque *ex infirmitate crucifixum*, uti ſcribit Apoſtolus in 2. ad Cor. c. 13. v. 4. Ergo licet Chriſtus omnibus his affectionibus non invitus & ex neceſſitate ſubjectus fuerit, cum poſſet omnes carnis defectus omnipotentia ſua repellere, volens tamen carni & ſanguini communicare, ac ſinens humanitatem ſuos actus exercere, ex conditione naturæ eſurivit, ſitivit, aliaſque ſuſtinuit paſſiones. Lege S. Auguſtinum in lib. 1. de peccat. mer. c. 27. & in lib. 2. c. 29.

Si vero juxta ſecundam ac communiorem ſignificationem de corruptione loquamur, Chriſti corpus incorruptibile fuiſſe fatemur. Nam

in

in Psal. 15. v. 10. legitur : *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*. Patres etiam id affirmant. Scribit enim Cyrillus in lib. 9. de Adorat. in spir. & ver. *Incorruptibile est Christi corpus, & divinam in seipso naturam habet*. Et Augustinus epist. 205. ad Consentium : *Constat, neque ullo modo dubitandum est, corpus Christi, quod licet corruptionem putredinis in sepulcro non viderit, unde scriptum est*, Nec dabis sanctum tuum videre corruptionem, *clavis tamen, & lanceæ perrumpi potuit, nunc omnino in incorruptione consistere*. Postremo Fulgentius in epist. ad Rheginum c. 4. *Christus non vidit corruptionem, quia nullam sensit caro ejus putredinem*.

Quæstioni huic altera nectitur, an nempe Christus doloris sensum habuerit? Phantasiastæ cum dicerent Salvatorem nostrum in substantia corporis non fuisse ; eundem phantasmate passum, ac nullatenus obnoxium fuisse doloribus affirmarunt. Aphthartodocitæ qui Christum habuisse veram quidem carnem, sed natura sua incorruptibilem asserebant, ipsum utique Christum cruci affixum, passum, ac vere mortuum fatebantur, sed in hoc œconomiam ac miraculum interfuisse, non conditionis naturalis effectum ; cum enim duas in Christo naturas confunderent, autumabant expertem illum fuisse humanarum ac naturalium affectionum.

A duobus hisce damnatis erroribus omnino distinguitur quorundam opinio, qui licet neque Christum divinitate passum, neque humanam ejus naturam suis proprietatibus exspoliatam fuisse putaverint ; dixerunt tamen hanc per hypostaticam unionem adeo roboratam fuisse atque perfectam, ut non nisi intercedente mi-

ra-

raculo obnoxia dolori esse potuerit. Communis autem sententia docet, quod Christus dolores vere, ac naturaliter sit expertus; quamvis cum ille peccato caruerit, non eos ex debito aut necessitate, sed ex voluntate subierit.

Quod igitur vera doloris passio in Christo fuerit, tum ex aliis Scripturæ textibus demonstratur, tum præsertim ex Isaiæ c. 53. v. 3., ubi Propheta Christum appellat *virum dolorum, & scientem infirmitatem*. Et v. 4. subjungit: *Vere languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*. Quod expendens Hieronymus ait: *Vere languores nostros, & peccata portavit, & pro nobis doluit, non putative, id est, δοκήσεως, ut nova, & vetus hæresis suspicatur, sed vere crucifixus est, vere doluit*. Præterea de Christo scribit Apostolus Hebr. 2. v. 17. & 18. *Debuit per omnia fratribus assimilari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum, ut repropitiaret delicta populi. In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis qui tentantur, auxiliari*.

Hujusce autem dogmatis rationem S. Bonaventura suppeditat in 3. d. 16. a. 1. q. 1. ubi ex fidei principiis ita scribit: *In ipso*, Christo videlicet, *fuit caro passibilis, & perforabilis, sicut etiam virtus sentiendi; secundum quam anima compatitur corpori læso: quoniam ergo hæc duo verum dolorem faciunt, scilicet vera læsio, & verus læsionis sensus, & hæc duo vere fuerunt in Christo, indubitanter tenendum est, quod in Christo fuit vera doloris passio*.

Accedit, quod, uti ibidem Seraph. Doctor adjungit, qui oppositum arbitrantur, redemptionem nostram evacuant. *Dum enim dicit ipsum*

ipſum non fuiſſe veraciter paſſum, dicit ipſum non ſatisfeciſſe, ac per hoc genus humanum non eſſe redemptum. Dum vero dicit ipſum ſimulaſſe ſe pati, dicit ipſum eſſe mendacem, & ita nec vere fuiſſe Dei Filium, nec Dei Nuncium, & ita nec Mediatorem, ſed potius deceptorem. Vide etiam S. Thomam in p. 3. q. 15. a. 5., & S. Auguſtinum in Pſal. 93.

Quod vero Chriſtus dolores non tantum ex voluntate, ſed etiam ex naturali carnis conditione ſubierit, ex dictis evidenter eruitur. Nam Scriptura, & Patres Chriſtum affirmant *ex infirmitate, & ſecundum humanæ fragilitatis aſſumptionem, & per naturam hominis, & per veritatem carnis, & animæ* crucifixum ac mortuum; quin recurrant ad virtutem, aut divinitatis omnipotentiam, aut ad ſupernaturalem aliquem in aſſumptam humanitatem influxum. Chriſtus enim eam voluit aſſumere carnem, quam liberaturus erat, & in qua & per quam poſſet opus redemptionis humanæ perficere: at ejuſcemodi caro ex naturæ ſuæ neceſſitate dolori ac morti ſubjicitur.

Merito itaque Seraph. Doctor affirmat in 3. d. 16. a. 1. q. 3., *quod Chriſtus aſſumpſit iſtum defectum, qui eſt neceſſitas patiendi. Quantum enim erat de lege naturæ, corpus illud erat reſolubile; & niſi fuiſſet conſervatum miraculoſe, aliquando ſenio defeciſſet.* Hac de re legendus eſt etiam Auguſtinus in lib. 2. de peccat. mer. c. 29.

Sed objicies 1. S. Hilarius in lib. 10. de Trin. omnem prorſus a Chriſto doloris ſenſum excludit. Scribit enim ibi n. 23. *In quo quamvis aut ictus incideret, aut vulnus deſcenderet, aut no-*

nodi concurrerent, aut ſuſpenſio elevaret, afferrent quidem hæc impetum paſſionis, non tamen dolorem paſſionis inferrent. Iuque ſubjectis illuſtrat exemplis: *Ut telum aliquod, aut aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans, omnes quidem has paſſiones naturæ ſuæ infert, ut foret, ut compungat, ut vulneret; ſed naturam ſuam in hæc paſſio illata non retinet, dum in natura non eſt vel aquam forari, vel pungi ignem, vel aera vulnerari.* Sicut ergo aer, ignis, & aqua non patitur; ita neque Chriſtus ullo fuit doloris ſenſu perculſus.

Reſp. Hilarium tum objecto in loco, tum alibi diſputare contra pleroſque Apollinariſtas, & Arianos, quorum aliqui affirmantes, Verbum ſuppleviſſe vicem animæ, aliqui vero opinantes infirmam fuiſſe ipſam Verbi divinitatem, hanc doluiſſe dixerunt, dum caro figeretur in cruce. Negat igitur S. Doctor in Chriſto fuiſſe doloris ſenſum, qui in divinitatem irruerit, aut ex neceſſitate naturæ dominata ſit animo; non vero qui corporis infirmitatem affecerit, quique divina permittente virtute paſſionem intulerit. Hinc citato in lib. n. 9. ſcribit: *Volunt plerique eorum*, Hæreticorum ſcilicet, *ex paſſionis metu & ex infirmitate patiendi, non in natura eum impaſſibilis Dei fuiſſe: ut qui timuit, & doluit, non fuerit vel in ea poteſtatis ſecuritate, quæ non timet, vel in ea ſpiritus incorruptione, quæ non dolet; ſed inferioris a Deo Patre naturæ, & humanæ paſſionis trepidaverit metu, & ad corporalis pœnæ congemuerit atrocitatem.* Poſtmodum vero confutatis hæreticis manifeſte concedit, quod Chriſtus vere ſit paſſus, vereque doluerit. *Paſſus eſt*, inquit lau-

dato in lib. n. 67., *Unigenitus Deus, quæ homines pati poſſunt*. Et n. 62. dixerat: *Habes in conquerente ad mortem ſe relictum eſſe, quia homo eſt: habes eum, qui moritur, profitentem ſe in Paradiſo regnare, quia Deus eſt.*

Solum igitur ex objecto textu conſequitur, quod ſicuti telum aquam perforans, aut ignem compungens, aut aera vulnerans, affert quidem impetum, pœnam vero non infert; ita & clavi corpus Chriſti perforarunt, non tamen divinitati dolorem paſſionis inferre potuerunt. Ceterum non uno in loco docet Hilarius, verum doloris ſenſum in Chriſto fuiſſe; ac præſertim in Pſalmum 68. n. 1. ait: *Dolet ipſe quidem extra neceſſitatem & timoris poſitus & doloris, ſed his ſe tamen quæ ſuſcepit accommodans*. At de Hilarii mente lege Seraph. Doctorem in 3. d. 16. dub. 1. 2. & 3., & in ejuſdem diſt. a. 1. q. 1. Inter Recentiores autem legendus eſt Berti lib. 26. c. 7.

Objicies 2. Si Adam in accepta juſtitia perſtitiſſet, nullum omnino dolorem fuiſſet expertus: ergo & Chriſtus vel dolorem omnino non ſenſit, vel ſi ſenſit, id ex ſola voluntate, non etiam ex naturæ conditione eveniſſe dicendum eſt.

Reſp. cum S. Bonaventura in 3. d. 16. a. 1. q. 3., quod *Chriſtus quaſi medium tenet inter nos, & ſtatum naturæ inſtitutæ. Nam in nobis natura, & voluntas paſſioni ſubeſt. In Adam vero tam natura, quam voluntas paſſioni præſtat. In Chriſto vero paſſioni ſuberat natura, ſed præerat voluntas*. Triplex vero ratio ab eodem S. Doctore profertur in ejuſdem libri d. 15. a. 1. q. 1., cur naturam dolori ac paſſioni obnoxiam Chri-

Christus assumpserit ; *videlicet propter pretium nostræ salutis, propter exemplum virtutis, & propter fulcimentum nostræ fragilitatis.* Sed præcipue, *propter pretium nostræ salutis ; quia proposuerat nos redimere non corruptibilibus, auro, & argento, sed pretiosissimo sanguine suo, & animam suam ponere pro animabus nostris. Ad hoc autem non esset idoneus, nisi naturam deficientem, & passibilem assumpsisset.* Unde & ad Hebr. 2. v. 17. scribit Apostolus : *Debuit per omnia fratribus assimilari, &c.* ut supra.

Instabis. Quæ nobis volentibus accidunt, nequeunt afferre dolorem : atqui Christus oblatus est, quia ipse voluit, necnon cum gaudio corporis sui tormenta sustinuit : nullum ergo mœrorem, doloremque percepit.

Resp. cum S. Bonaventura in 3. d. 16. a. 2. q. 1., *quod nihil impedit, quod ratio de aliquo gaudeat, ut ratio, & contristetur, ut natura, pro eo quod aliquid potest repugnare voluntati secundum appetitum naturalem, & consonare voluntati secundum appetitum deliberativum. Frequenter enim voluntate liberi arbitrii refugimus quæ natura appetit, & appetimus quæ natura refugit.* Quomodo vero componi in Christo potuerit intuitiva Dei visio cum dolore, ex infra dicendis manifestius apparebit.

Sequitur 3. quæstio, an Christus humani corporis defectus omnes assumpserit ? Circa quod notandum est, quod ejusmodi defectus vel omnibus sunt communes, uti mortalitas, fames, sitis &c. ; vel sunt speciales, ac proprii, qui ex particularibus causis oriuntur, ut febris, lepra, claudicatio, cæcitas &c. Quia ergo Christus, sicut huc usque probavimus, verum cor-

pus aſſumpſit, eos etiam aſſumpſit defectus omnes, qui ſunt humanæ ſpeciei communes, quique ad perficiendum opus redemptionis noſtræ plurimum conferebant. Speciales vero defectus aſſumpti non fuerunt a Verbo. Hi enim, ut ait S. Thomas in 3. p. q. 14. a. 4. *quandoque cauſantur ex culpa hominis, puta ex inordinato victu, quandoque autem ex defectu virtutis formativæ: quorum neutrum convenit Chriſto. Quia & caro ejus de Spiritu Sancto concepta eſt, qui eſt infinitæ ſapientiæ, & virtutis, errare, & deficere non potens: & ipſe nihil inordinatum in regimine ſuæ vitæ exercuit.* Vide hac ſuper re S. Bonaventuram in 3. d. 15. a. 1. q. 2.

Quia vero inter corporis defectus recenſetur ſtaturæ, & faciei deformitas; idcirco de Chriſti forma, ac ſtatura breviter nunc agemus. Recentiores nonnulli ſentiunt, quod etſi Chriſti facies deformis, nimiumque abjecta non fuerit, non tamen elegantem pulchritudinem habuerit, aut nimiam venuſtatem. At alii Chriſto quidem denegant muliebrem & affectatam pulchritudinem, quæ carnales oculos capit, mollioreſque accendit affectus; concedunt tamen fuiſſe illum ſingulari præditum venuſtate, quæ in apta partium diſpoſitione, & convenienti ſtatura, ac temperato colore conſiſtit. Huic nos opinioni ſubſcribimus.

Et primo quod Chriſtus deformem faciem non habuerit, evidenter deſcendit ex dictis. Nam Chriſtus communes quidem defectus aſſumpſit, non autem ſpeciales: atqui deformitas eſt ſpecialis humanæ naturæ defectus, cum ex defectu particularis cauſæ oriatur.

Quod inſuper pulchra fuerit Chriſti forma, ſua-

ſuaderi ſic poteſt. In Pſalmo enim 44. v. 3. legitur: *Speciosus forma præ filiis hominum, diffusa eſt gratia in labiis tuis.* Et licet Patres plerumque hunc textum de virtutibus animi, & de gloria divinitatis exponant; nil tamen vetat, quin ipſum ad corporis etiam pulchritudinem referamus. Nam Chryſoſtomus hom. 28. in Matth. ait: *Ut in faciendis ſignis erat mirabilis, ſic viſu gratioſiſſimus traditur fuiſſe. Id ipſe Propheta ſignificans multo ante clamaverat:* Speciosus pulchritudine ſuper filios hominum.

Scribit quoque Hieronymus in c. 9. Matth. *Certe fulgor ipſe, & majeſtas divinitatis occultæ, quæ etiam in humana facie relucebat, ex primo ad ſe videntes trahere poterat aſpectu.* Similia tradit in epiſt. 140. Pro hac etiam opinione citantur Bernardus ſerm. 1. de omnibus SS., Aelredus Abbas Rhievallenſis in ſerm. de Jeſu duodenni, & Laurentius Juſtinianus in tract. de caſto connubio.

Eadem denique eſt hac de re S. Thomæ ſententia, quam tradit, illuſtratque ſcribens in Pſal. 44. *Pulchritudo conſiſtit in proportione membrorum & colorum. Et ideo alia eſt pulchritudo unius, alia alterius; & ſic hanc pulchritudinem Chriſtus, ſecundum quod competebat ad ſtatum & reverentiam ſuæ conditionis, habuit. Non eſt ergo intelligendum, quod Chriſtus habuerit capillos flavos, vel fuerit rubeus: quia hoc non decuiſſet eum: ſed illam pulchritudinem corporalem habuit ſumme, quæ pertinebat ad ſtatum & reverentiam & gratioſitatem in aſpectu, ita quod quoddam divinum radiabat in vultu ejus, quod omnes eum reverebantur, ut Auguſtinus dicit.*

At dices. Legitur Iſaiæ 53. v. 2. *Non eſt ſpecies ei, neque decor: & vidimus eum, & non erat aſpectus*. Quæ verba recenſet Auguſtinus ſerm. 20. de verbis Apoſtoli, nunc 27., & ait: *Ut homo non habebat ſpeciem, neque decorem. Sed ſpecioſus forma ex eo, quod eſt præ filiis hominum*. Item Origenes ex eodem textu contra Celſum lib. 6. §. 7. colligit, *Jeſu corpus fuiſſe aſpectu deforme*. Eadem denique fuit opinio Irenæi in lib. 3. c. 19., Clementis Alex. in lib. 6. ſtromatum & alibi, Tertulliani in lib. de Idololatria, necnon Veterum aliorum, Recentiorumque quamplurium.

Reſp. quod Iſaias de Chriſto loquatur paſſionis ſuæ tempore, uti ex textu colligitur, docentque inter alios Hieronymus, & Thomas in locis ſupra citatis. Sed & Chryſoſtomus verbis ſuperius laudatis adjungit: *Quod autem dicit Eſaias:* Non habebat ſpeciem neque pulchritudinem, *aut quoniam ad Deitatis ſuæ ineffabilem gloriam, aut quoniam paſſionis cruentam deformitatem, & lividos tumores reſpexit, id ita dixit: vel etiam quia tenui eum & victu & veſtitu uſurum ſignificare voluit*. Hoc etiam in ſenſu loquitur Auguſtinus tum objecto in loco, tum in Pſalmum 127. n. 8. Origenes eodem in loco affirmat, Chriſti vultum abjectum non fuiſſe, neque ſtaturam ejus exiguam; proindeque Chriſto tantum denegare videtur muliebrem pulchritudinem, quæ carnalium oculos ad ſe trahit, non gravem illam, & cum majeſtate conjunctam, quæ ad amorem ſimul & obſervantiam intuentes impellit. Illam enim vultus gratiam habere Chriſtum omnino non decuit; iſtam vero exhibere conveniens fuit, ex-

exhibuitque reipſa; uti cum cum Angelico Doctore notavimus, utque plures Antiqui, plurimique Recentiores affirmant.

CAPUT III.

In quo de perpetua Dei Genitricis Virginitate diſſeritur.

CErinthus, Ebion, Carpocrates, aliique veteres hæretici Chriſtum purum hominem fuſſe, & ex Joſephi ſemine genitum affirmarunt. His Judæi conſentiunt denegantes Meſſiam ex Virgine naſciturum. Helvidius, aliique nonnulli quarto Eccleſiæ ſeculo tradiderunt, Mariam poſt Chriſti nativitatem ex carnali cum Joſepho concubitu alios filios peperiſſe. Hi *Antidicomarianitæ*, ſive *Adverſarii Mariæ* dicti ſunt, quia perpetuam Virginitatem ejus evertere impudentiſſimè contenderunt.

Propoſitio 1. Chriſtus de Virgine ſine virili ſemine carnem aſſumpſit.

Probatur 1. ex vaticinio Iſaiæ, quod legitur c. 7. v. 14. *Ecce Virgo*, Hebraice *Halma*, *concipiet*, *& pariet filium*, *& vocabitur nomen ejus Emmanuel*. Modo *Halma* non ſolum virginem denotat, ſed virginem *abſonditam*, & ſecretam, quæ a virorum aſpectibus magna diligentia cuſtoditur. Unde Hieronymus in hunc locum ait: *Ergo Halma*, *quod interpretatur* Abſcondita, *ideſt*, Virgo nimia diligentia cuſtodita, *majoris mihi videtur laudis eſſe*, *quam vir-*

10. Virgo quippe, juxta Apoſtolum, poteſt eſſe corpore, & non ſpiritu. Abſcondita vero, quæ virgo eſt, epitafin virginitatis habet, ut & virgo ſit, & abſcondita. Et quæ abſcondita eſt, juxta idioma linguæ Hebrææ, conſequenter & virgo eſt: quæ autem virgo, non ſtatim ſequitur, ut abſcondita ſit. Hoc idem verbum & in Exodo de Maria ſorore Moyſis virgine legimus. Oſtendant igitur Judæi in Scripturis alicubi poſitum Halma, *ubi adoleſcentulam tantum, & non virginem ſonet: & concedimus eis, illud quod in Iſaia apud nos dicitur*: Ecce virgo concipiet, & pariet, *non abſconditam virginem, ſed adoleſcentulam ſignificare jam nuptam*. Lege eundem S. Doctorem in lib. de qq. Hebraicis in Geneſim.

Quod autem vaticinium iſtud in Chriſto impletum ſit, quodque Chriſtus ex Virgine ſine virili commercio ſit conceptus, habetur Matth. c. 1. v. 20. & 21., ubi Angelus in ſomnis Joſeph apparens ait: *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam: quod enim in ea natum eſt, de Spiritu Sancto eſt. Pariet autem Filium: & vocabis nomen ejus Jeſum*. Ac deinde v. 22. & 23. Evangeliſta ſubjungit: *Hoc autem totum factum eſt, ut adimpleretur, quod dictum eſt a Domino per Prophetam, dicentem: Ecce Virgo in utero habebit, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel: quod eſt interpretatum, Nobiſcum Deus*. Idem denique fidei dogma conſtat ex perpetua SS. Patrum traditione, quorum teſtimonia in re certiſſima recenſere ſuperfluum arbitramur.

At contra reſpondent 1. In citato textu propoſuit Iſaias puellæ partum, & infantem ex

ea

ea prodituram, tanquam ſignum proximæ liberationis Judæorum ab obſidione Raſin Regis Syriæ, & Phacee Regis Iſrael: atqui ejuſcemodi eſſe non potuit Chriſti ex Maria conceptio, quæ plura poſt ſecula contigit: Ergo Iſaiæ vaticinium ad Mariam referri non poteſt. Referendum eſt igitur vel ad Prophetiſſam Iſaiæ uxorem, de qua legitur c. 8. v. 3. *Et acceſſi ad Prophetiſſam, & concepit, & peperit filium &c.* Vel deſignare etiam vaticinium poteſt filium regis Achaz, ſcilicet Ezechiam, ut alii putaverunt.

Reſp. nego minorem. Dantur enim ſigna, quæ completam jam promiſſionem oſtendunt, eandemque commemorant; cujuſmodi illud eſt Exodi 3. v. 12. *Et hoc habebis ſignum quod miſerim te: Cum eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo ſuper montem iſtum.* Ceterum cum excidium Syriæ, & Samariæ quod intulerunt Aſſyrii, figura eſſet excidii regni diabolici, quod Chriſtus evertit; Iſaias c. 8. ad creandam Judæis fidem deſtruendorum brevi horum regnorum, dat ſignum ſub ipſorum oculis mox futurum; nempe quod *antequam ſciat puer*, ex Prophetiſſa brevi in lucem edendus, *vocare patrem ſuum, & matrem ſuam; auferetur fortitudo Damaſci*, occiſo rege Raſin, *& ſpolia Samariæ*, occiſo rege Phacee, juſſu regis Aſſyriorum, ſive *coram rege Aſſyriorum*; uti legitur c. 8. v. 4. Præmittit tamen Propheta c. 7., monetque Achaz qui ex hypocriſi ſignum petere recuſaverat, monetque familiam ejus, quod hæc omnia præſignent myſterium aliud longe ſublimius, complendum tempore Meſſiæ ex Davidico ſanguine naſcituri. Lege con-

tex-

textum, ex quo patet, quod quia Prophetiſſæ puer Chriſti typus fuerit, quæcunque Iſaias de illo prædixit, verius ſplendidiuſque impleta in Chriſto fuerunt.

Neque ad Ezechiam ſpectare vaticinium poteſt, quia ille jam decimum annum agebat, cum ejus patet regnum obtinuit; quia is *ſedecim annis regnavit*, 4. Regum 16. v. 2., & Ezechias *viginti quinque annorum erat, cum regnare cœpiſſet*, 4. Regum 18. 2. Filius ergo, qui regnante Achaz prædicitur naſciturus, Ezechias eſſe non poteſt.

Notandum hic præterea eſt, quod recte Chriſtus dicatur *Emmanuel*, ideſt, *Nobiſcum Deus*, quia ex quo Verbum caro factum eſt, peculiari titulo Deus habitavit in nobis. *Nomen* autem hoc loco juxta Scripturæ conſuetudinem Chriſti attributa ſignificat, ut dum legitur Lucæ c. 32. *Filius Altiſſimi vocabitur*; & apud eundem Iſaiam 9. 6 *Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Conſiliarius &c.* Poſtrema verba, *Butyrum, & mel comedet*, myſtice denotant manſuetudinem, doctrinam, donorumque ſpiritualium ubertatem: literali autem in ſenſu demonſtrant, quod puer Jeſus etiamſi de Spiritu Sancto ex Maria Virgine concipiendus ſit, iiſdem tamen nutrietur alimentis, quæ in Judæa ſubminiſtrantur infantibus. Sed vide Interpretes.

Opponunt inſuper. Apoſtolus ad Gal. 4. v. 4. ait: *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere*: quo etiam nomine in Evangelio Chriſtus Matrem ſuam appellat. Atqui *mulier* feminam denotat a viro compreſſam.

Reſp. quod *mulier*, etſi quandoque *virgini* op-

opponatur; ex ſeſe tamen ſexum denotat, non conditionem. Hinc Heva ſtatim ac producta fuit, dicta eſt *mulier* Gen. 2. v. 22., quamvis non adhuc cognita eſſet ab Adam: quo etiam in ſenſu vocabulum illud accipitur 1. ad Cor. c. 11. v. 5., & alibi. Lege Tertullianum in lib. de velandis virginibus c. 4. 5. & 6.

Propoſitio 2. Maria in partu etiam, & poſt partum perpetua Virgo permanſit.

Et prima quidem pars evidenter oſtenditur ex adductis ſupra Iſaiæ verbis: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*. Patet quoque ex unanimi SS. Patrum traditione, Eccleſiæque judicio, quæ pro hæreticis eos ſemper habuit, qui violato virginitatis clauſtro Chriſtum ex Maria natum eſſe dixerunt. Unde Auguſtinus in Enchir. c. 34. ait: *Quod ſi vel per naſcentem corrumperetur ejus*, Mariæ nimirum, *integritas, non jam ille de Virgine, naſceretur; eumque falſo, quod abſit, de Virgine Maria natum tota confiteretur Eccleſia*.

Eodem etiam momento pars altera comprobatur. Nam S. Ambroſius in lib. de inſtit. virginis c. 6. inquit: *Fieri non poterat, ut Joſeph vir juſtus in hanc prorupiſſet amentiam, ut matri Domini corporeo concubitu miſceretur*: Item Hieronymus contra Helvidium ex profeſſo demonſtrat, Mariam perpetuo Virginem permanſiſſe; quod & alibi docuit, ac præſertim Comment. in c. 44. Ezech. v. 2. Epiphanius etiam hær. 78. n. 6. hanc veritatem oſtendit, aitque, quod ad ſua uſque tempora nemo B. Mariam, niſi præpoſito *Virginis* nomine, appellaſſet. Denique Auguſtinus tract. 10. in Joan. ait: *Num Maria iterum peperit? abſit. Inde cœpit dignitas virginum*.

Ob-

Objicies 1. Matthæi 1. v. 18 de Maria, & Joſeph hæc leguntur: *Antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto*: atqui Evangeliſta non diceret, *Antequam convenirent*, niſi poſtea conveniſſent. Nam ſicuti de nunquam pranſuro recte non diceretur, *Antequam pranderet*; ita de nunquam conventuris bene non diceretur, *Antequam convenirent*: ergo Maria, & Joſeph carnaliter poſtea convenerunt.

Reſp. cum S. Thoma in 3. p. q. 28. a. 3. ad 1. *quod, ſicut Hieronymus dicit in lib. contra Helvidium*, intelligendum eſt, quod hæc propoſitio *ante* licet ſæpe conſequentia indicet; tamen nonnunquam ea tantum, quæ prius cogitabantur, oſtendit. Nec neceſſe eſt, ut cogitata fiant, cum ideo aliud intervenerit, ne ea, quæ cogitata ſunt, fierent. Sicut ſi aliquis dicat: Antequam in portu pranderem, navigavi; non intelligitur, quod in portu prandeat, poſtquam navigaverit; ſed quia cogitabatur in portu pranſurus. *Et ſimiliter Evangeliſta dicit*: Antequam convenirent, inventa eſt in utero habens de Spiritu Sancto: *non quia poſtea convenerint: ſed quia, dum viderentur conventuri, prævenit conceptio per Spiritum Sanctum, ex quo factum eſt, ut ulterius non convenirent.*

Objicies 2. quæ habentur in citato Matth. c. 1. v. 25. *Et non cognoſcebat eam, donec peperit Filium ſuum primogenitum*. Ubi particula *donec* demonſtrare videtur, Mariam poſt Chriſti partum fuiſſe cognitam a Joſepho: quod ex ipſo *Primogeniti* nomine comprobatur; nam qui primus eſt, neceſſario dicit ordinem ad ſecundum.

Reſp.

Reſp. cum S. Bonaventura in 4. d. 30. dub. 4., *quod* illud, donec, *dicit terminum incertum, ſicut ibi*, Pſal. 109. vv. 1. & 2. Dixit Dominus Domino meo, ſede a dextris meis, donec ponam: *conſtat, quod poſt ſedebat a dextris. Similiter dico, quod primogenitus privat ordinem ad anterius, non ponit ordinem ad poſterius: & ideo primogenitus appellatur, quia Dominus erat ſecundum legem offerendus.* Id ut clarius exponatur, cum S. Hieronymo contra Helvidium obſervamus, præcipi Num. 18. v. 15., ut pro hominis primogenito offeratur poſt unum menſem ſiclus argenteus. Modo ſi primogenitus ille tantum diceretur, poſt quem alii filii naſcuntur, *non omne maſculinum, quod aperit vulvam*; potuiſſet quilibet Genitor petentibus ſiclum reſpondere: *Quid me unius menſis conſtringis articulo? Expecta donec naſcatur ſecundus. Nihil debeo Sacerdoti, niſi & ille fuerit procreatus, per quem is, qui ante natus eſt, incipiat eſſe primogenitus.*

Objicies 3. Chriſtus alios habuiſſe fratres non obſcure in Evangelio recenſetur. Lege Matth. 12. v. 46. & c. 13. v. 55. Lege & Marci 3. v. 31. &c.

Reſp. cum S. Hieronymo in c. 12. Matth. *Quidam fratres Domini de alia uxore Joſeph filios ſuſpicantur, ſequentes deliramenta apocryphorum, & quandam Melcham, vel Eſcham mulierculam confingentes. Nos autem ſicut in libro, quem ſcripſimus contra Helvidium, continetur, fratres Domini, non filios Joſeph, ſed conſobrinos Salvatoris, Mariæ liberos intelligimus materteræ Domini; quæ eſſe dicitur mater Jacobi minoris, & Joſeph, & Judæ, quos in alio E-*

van-

vangelii loco fratres Domini legimus appellatos. Fratres autem consobrinos dici omnis Scriptura demonstrat.

Postremo cum Angelico Doctore in supra citato loco notamus, *quod, sicut Augustinus dicit in lib. 1. de nupt. & concup. c. 11.* conjux Joseph vocatur Mater Dei, ex prima desponsationis fide; quam per concubitum non cognoverat, nec fuerat cogniturus. *Ut enim Ambrosius dicit super Lucam c. 1.* Non virginitatis ereptio, sed conjugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur.

Ita similiter adnota cum Hieronymo in laudato adversus Helvidium libro, quod *Evangelistæ Patrem Joseph dicunt; non quod vere pater Joseph fuerit Salvatoris; sed quod ad famam Mariæ conservandam pater sit ab omnibus existimatus.* Speciali præterea titulo Joseph *Christi Pater* est dictus, *ipsa* nempe *copulatione conjugii*, ut Augustinus ait in lib. 2. de consensu Evangelistarum c. 1., *& ob hoc etiam Christi pater multo conjunctius, quia ex ejus conjuge natus est, quam si ei esset aliunde adoptatus.*

CA-

CAPUT IV.

Quod Dei Verbum humanam animam, mentemque ſuſceperit.

APollinariſtæ, ſicut et Arianorum plerique dixerunt, *Deum Chriſtum carnem ſine anima ſuſcepiſſe*, uti ſcribit Auguſtinus in lib. de hæreſibus c. 55. Poſtmodum vero Scripturarum teſtimoniis victi Apollinariſtæ ſenſitivam in Chriſto animam admiſerunt; *mentem* autem, *qua rationalis eſt anima hominis*, in anima Chriſti fuiſſe negarunt, arbitrantes, quod ipſum Dei Verbum humanæ mentis, & intellectus vices expleverit.

Propoſitio 1. Dei Verbum animam humanam aſſumpſit.

Probatur. Veritatem iſtam paſſim Scripturæ demonſtrant. Ita Matth. 26. v. 58. Chriſtus ait: *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Joan. 12. v. 27. *Nunc anima mea turbata eſt.* Et Joan. 10. v. 18. *Poteſtatem habeo ponendi eam*, ſcilicet animam meam, *& iterum ſumendi eam*. Ubi obſervandum occurrit, quod Anima quam Chriſtus moriendo poſuit, ac reſurgendo iterum ſumpſit, non eſt ipſa divinitas, quam profecto nunquam ille dimiſit; neque eſt Dei Verbum, quoniam iſtud eadem Perſona eſt quæ animam poſuit, reſumpſitque: fuit igitur vera hominis anima.

Dein-

Deinde uti cum S. Auguſtino in lib. 83. qq. q. 80. Angel. Doctor advertit in p. 3. q. 5. a. 3. nequit animæ vocabulum in citatis textibus aliiſque nonnullis juxta metaphoricum ſenſum exponi. Nam *Evangeliſtæ in Evangelica narratione narrant, quod miratus eſt Jeſus, & iratus, & contriſtatus, & quod eſuriit: quæ quidem ita demonſtrant, eum veram animam habuiſſe, ſicut ex hoc quod comedit, & dormivit, & fatigatus eſt, demonſtratur verum corpus humanum. Alioquin ſi hæc ad metaphoram referantur, cum ſimilia legantur in veteri teſtamento de Deo, peribit fides Evangelicæ narrationis.* Lege etiam S. Athanaſium in lib. 1. adverſus Apollinarium.

His accedit, quod uti ſcribit S. Bonaventura in 3. d. 2. a. 2. q. 2. *Chriſtus deſcendit ad inferos, & tertia die reſurrexit a mortuis; aut ergo ratione animæ, aut ratione corporis, aut ratione divinitatis. Ratione carnis non; quia illa remanſit in ſepulcro. Ratione divinitatis non; quia non poteſt mutare locum: ergo ratione animæ: ergo &c.*

Aliis inſuper rationibus quæ apud Eccleſiæ Patres habentur, optime confirmatur aſſertio. Auguſtinus enim in epiſt. ad Dardanum n. 4. ait: *Profecto cum dicis hominem perfectum, totam illic naturam humanam vis intelligi: non eſt autem homo perfectus, ſi vel anima carni, vel animæ ipſi mens humana defuerit*, Theodoretus de hæreticorum fabulis: *Si enim Verbum Deus animam non aſſumpſit, nec liberare eam, nec gloriam ei parare potuit.* Idem legitur apud Nazianzenum in epiſt. 1. ad Cledonium. Præterea S. Fulgentius in lib. de Incarnat. ad Traſimundum c. 14. Apollinariſtas etiam ex eo refel-

ſellit, quod anima gravius peccato ſit vulnerata, quam corpus, atque illi dignitate præcellat; additque c. 15., quod ſi Chriſtus tentatis in anima præſtat auxilium, ipſe quoque humanam habuiſſe animam dicendus eſt; nam *in quo tentatus non eſt, tentatis auxilium non miniſtrat*. Lege epiſt. ad Hebr. c. 2. v. 17. & 18.

Propoſitio 2. Humanam etiam mentem & intellectum Dei Verbum aſſumpſit.

Veritas iſthæc ex dictis ſua ſponte deſcendit. Illa enim anima mente ac ratione non caruit, quæ cum animi apprehenſione triſtata eſt, & deſideravit, pavorem etiam tædiumque perſenſit; quæ inſuper perfectum hominem conſtituit, & a corpore poſt mortem ſeparata permanſit: atqui talem eſſe Chriſti animam ſuperiora argumenta, & alia ſimilia manifeſtant.

Concludamus igitur cum Damaſceno in lib. 3. c. 6. *Omnia quæ in noſtra natura plantavit Deus, & Verbum aſſumpſit, ſcilicet corpus, & animam intellectualem, & eorum proprietates. Totus enim totum aſſumpſit me, ut toti mihi ſalutem gratificaret. Quod enim inaſſumptibile eſt, incurabile eſt.*

At dices 1. Joannes in Evang. c. 1. v. 14. de Verbi Incarnatione ſic ait: *Et Verbum caro factum eſt*; quin ullam animæ, aut mentis humanæ fecerit mentionem: ergo &c.

Reſp. cum Seraph. Doctore in loco ſupra citato, *quod illud dictum verum eſt per ſynecdochen, & caro accipitur pro tota natura humana*; ſicuti nempe tum alibi paſſim accipitur, tum Iſaiæ 40. v. 5. *Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum eſt*. Proſequitur deinde S. Doctor: *Et ſi tu quæras, quare ipſe uſus*

eſt illo ſynecdochico ſermone ; Dicendum quod hoc ideo fecit, quia ipſa natura aſſumpta nobis eſt notior ex parte ſubſtantiæ corporalis, quam ſpiritualis. Et ideo quia cognitio noſtra incipit ab his, quæ ſunt nobis magis nota, myſterium unionis humanæ naturæ cum divina magis deſcripſit ex parte carnis. Alia etiam ratio poteſt reddi ; quia in aſſumptione carnis clauditur aſſumptio animæ rationalis. Si enim aſſumpſit quod minus ad aſſumptionem erat idoneum & magis ab aſſumente diſtabat, multo magis aſſumpſit illud, quod erat magis idoneum, & magis conveniebat. Carnem denique Joannes ideo nominavit, *ut Chriſti humilitatem magis oſtenderet ;* uti in epiſt. 120. aſſerit Auguſtinus.

Inſtabis. Poſt objecta verba Joannes adjungit: *Et habitavit in nobis:* atqui ut Dei Verbum cum hominibus habitaret, animæ aſſumptio neceſſaria non videtur.

Reſp. ita Verbum habitaſſe nobiſcum, ut quaſi unus ex nobis homo perfectus exiſteret, ac tentaretur per omnia pro ſimilitudine abſque peccato, & animam ſuam poneret pro humani generis reparatione.

Dices 2. Rationalis anima idcirco requiritur, ut vitam corpori, & intelligentiam homini largiatur: atqui Dei Verbum creato principio non egebat, ut id omne præſtaret.

Reſp. cum S. Bonaventura in quæſtione citata, *quod etſi perſonæ Verbi conveniat vivificare per modum efficientis, non tamen convenit vivificare per modum formæ perficientis, & hoc ratione ſummæ perfectionis, quæ eſt in Deo, propter quam non poteſt pars eſſe alicujus conſtitutiva ; & ideo ſecundum humanam naturam Chriſtus*

ſtus formam creatam habuit completivam. Et ſic certiſſime credendum eſt, Chriſtum aſſumpſiſſe & veram carnem, & veram animam rationalem. Lege etiam S. Thomam in p. 3. q. 5. a. 3.

Dices 3. Si Chriſtus mentem aſſumpſiſſet humanam, humana etiam cupiditate, ac peccato minime caruiſſet.

Reſp. cum S. Epiphanio in hær. 77. §. 26. quod *uti Verbum nullam in carne diminutionem paſſum eſt, tametſi veram ſibi carnem impoſuerit: ita nec in humana mente quidquam cogitavit, quod minus eſſet Divinitate dignum. Sed ea dumtaxat, quæ carni, animæ, & humanæ menti conſentanea videbantur, accedens Dominus expreſſit, ne veræ ſuæ Incarnationis ordinem ſeriemque perturbaret.*

Addit deinde S. Pater §. 27. quod in Chriſto *neque caro minus convenienti aliquo ſtudio diviſa ſit, nec ipſe alieno aliquo mentis ſenſu, cujuſmodi in nobis cernitur, ſit abſtractus. Mens enim noſtra non ad peccatum perpetrandum inſita nobis eſt, ſed ad earum rerum, quæ in nobis utramque in partem conſiderantur, contemplandam perfectionem, necnon & officia juſtitiæ, vel ei contraria dignoſcenda.* Nam quod nunc concupiſcentiæ fluctibus agitemur, ex originali peccato deſcendit, quod Chriſtus Dei Filius non contraxit. Hinc de ipſo ſcribit Apoſtolus ad Hebr. 4. v. 15. *Tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.*

CAPUT V.

De Scientia qua Christi Anima ditata refulsit.

RECte duplicem in Christo scientiam Schola distinguit, divinam scilicet, & humanam; hanc vero subdividit in beatificam, quæ in intuitiva Dei visione consistit; & infusam, qua per species a Deo inditas objecta in proprio genere cognoscuntur; ac postremo in acquisitam, quæ per species a sensibus haustas experimento, vel studio comparatur. Divinam in Christo scientiam fuisse satis apparet ex iis quæ in lib. 7. cc. 7. & 8. produximus, ubi de Verbi Divinitate tractavimus; hic igitur de humana ejusdem scientia supereſt, ut agamus.

Propositio 1. Christus non increata solum & divina, verum etiam creata humanaque scientia exornatus apparuit. Est contra Hugonem a S. Victore, & Joannem de Ripa, qui non aliam quam divinam in Christo scientiam admiserunt.

Probatur. Uti superiori in capite dictum est, Christus animam habuit mente & intellectu pollentem: ergo habuit & creatam scientiam, quam naturaliter eidem animæ convenire nemo unus ignorat. Unde Doctor Angel. in 3. p. q. 9. a. 1. ait, quod cum *quælibet res sit propter suam operationem, frustra haberet Chri-*

stus

ſtus animam intellectivam, ſi non intelligeret ſecundum illam: quod pertinet ad ſcientiam creatam.

Deinde fide docemur, quod Chriſtus, ut homo, meruerit: atqui meritum ſine actu intellectus, creataque ſcientia eſſe non poteſt. Meritum enim ex libertate deſcendit; libertas autem quamvis *formaliter* ſumpta in voluntate reſideat, intellectionem tamen creatamque ſcientiam neceſſario prærequirit.

Tandem ut ait S. Bonaventura in 3. d. 14. a. 1. q. 1. *Sapientia, ſive cognitio eſt perfectio intellectus, & illud quo intellectus cognoſcit formaliter: ſed Verbum increatum non poteſt uniri animæ, ſicut perfectio perfectibili: ergo neceſſe eſt, quod præter ſapientiam, quæ eſt ipſum Verbum, anima Chriſti habeat habitum creatum ſive ad cognoſcendum Verbum, ſive aliud.* Merito igitur in VI. Generali Synodo definitum eſt, duas in Chriſto eſſe voluntates, duaſque *notitias impermixtas.*

Propoſitio 2. Anima Chriſti ſtatim a primo conceptionis inſtanti Beatorum ſcientiam habuit, qua Deum intuitive videbat.

Probatur. Joannes c. 1. v. 14. de Chriſto ſcribit: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Ac ſi aperte dicat: Verbum caro factum omnino plenam veritatis cognitionem accepit, uti Unigenitum a Patre decebat: atqui Unigenitum a Patre decebat, ut non abſtractivam ſolum, ſed & intuitivam Dei viſionem haberet, qualem nemo in mortali vita unquam obtinuit: ergo &c. Hinc eodem in capite v. 18. ſubjungitur: *Deum nemo vidit unquam. Unigenitus*

Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit. Cujus profecto verſiculi iſte eſt ſenſus; Moyſen ſcilicet, & Prophetas tantum quæ audierunt, non quæ viderunt, hominibus enarraſſe. At Unigenitus qui in ſinu Patris eſt, factus homo quæ enarrabat, aperte videbat. Alioquin ſi Dei Filius enarravit, ut homo, quæ ut homo non vidit, Chriſti teſtimonium nihil excellentius teſtimonio Moyſis, & Prophetarum haberet. Huc quoque faciunt quæ leguntur Joan. 3. v. 11. & 13., necnon c. 8. v. 14. &c.

Concordant & Patres, quos inter Auguſtinus in Pſalmum 15. ad ea verba: *Tu es qui reſtitues hæreditatem meam mihi*; ait: *Ut vota ſit & his, quos libero, claritas, qua eram apud te, prius quam mundus fieret. Non enim reſtitues mihi quod non amiſi, ſed reſtitues his, qui amiſerunt ejus claritatis notitiam; in quibus quia ego ſum, mihi reſtitues.* Chriſti ergo humanitas non amiſit ſupernam claritatem, quam per hypoſtaticam cum Verbo unionem ſtatim accepit. Similia tradit etiam S. Doctor in lib. 83. qq. q. 65., in lib. 1. de peccat. mer. c. 31., in lib. 4. de conſenſu Evang. c. ult. &c.

Item Fulgentius ad Ferrandum Diaconum ita ſcribit: *Non exiſtimo illi animæ in aliquo plenam divinitatis deeſſe notitiam, cujus una eſt Perſona cum Verbo.* Eadem denique eſt aliorum Patrum aſſertio, ut videre poteris apud Canum in lib. 12. c. 13.

Sed & Scholæ Doctores concorditer in eandem ivere ſententiam, ex quibus Angelicus Doctor in 3. p. q. 34. a. 4. ſcribit, quod Chriſtus in primo inſtanti conceptionis ſuæ gratiam non ad menſuram accepit: *gratia autem*

via-

viatoris cum ſit deficiens a gratia comprehenſoris, habet menſuram minorem reſpectu gratiæ comprehenſoris. Unde manifeſtum eſt quod Chriſtus in primo inſtanti ſuæ conceptionis accepit non ſolum tantam gratiam, quantam Comprehenſores habent, ſed etiam omnibus Comprehenſoribus majorem. Et quia gratia illa non fuit ſine actu, conſequens eſt, quod actu fuerit Comprehenſor, videndo Deum per eſſentiam, clarius cæteris creaturis.

Propoſitio 3. Chriſtus ut homo Deum comprehenſive non vidit.

Hæc theſis demonſtrata manet ex dictis in lib. 3. c. 2., quibus adjungimus, quod in ſeſſ. 2. Conciſii Baſileenſis, tunc legitimi, & ſub legitimo Pontifice conſtituti, proſcripta fuerit propoſitio Auguſtini Romani, & Epiſcopi Nazareni: *Anima Chriſti Deum videt tam clare, & intenſe, quam clare, & intenſe Deus videt ſeipſum.* Videndus eſt hac ſuper re S. Bonaventura in 3. d. 14. a. 1. q. 2.

Propoſitio 4. Habuit Chriſtus ſcientiam etiam infuſam a primo conceptionis inſtanti. Eſt contra Gnoſticos, Valentinianos, Arianos, & Agnoitas.

Et primo quidem quod infuſam ſcientiam eandemque perfectiſſimam Chriſtus habuerit, ex Scripturis manifeſte deducitur. Iſaiæ enim 11. v. 2. legitur: *Requieſcet ſuper eum ſpiritus Domini, ſpiritus ſapientiæ, & intellectus, ſpiritus conſilii &c.* Joan. 1. v. 14. *Plenum gratiæ, & veritatis.* Et ad Coloſſ. 2. v. 3. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi.* Legitur quoque Lucæ 2. v. 47. & Joan. 7. v. 15., Chriſtum eo tempore habuiſſe ſcientiam, quo eam ſtudio vel experimento acquiſiviſſe non poterat.

Sed & Ambroſius lib. 5. de fide c. 18. ait: *Nihil fuit, quod ignoraverit Dei Filius*. Et Hieronymus ad Damaſum ſcribit: *Plenam habuit ſcientiam, & certiſſimam veritatem*. Denique dedecebat, quod Verbum animam imperfectam, & veritatis ignaram aſſumeret: unde Damaſcenus in lib. 3. de fide c. 19. inquit: *Cum operante Verbi Deitate, qua cuncta regunntur, & gubernantur, communicat*, mens & anima Chriſti, *omnia intelligens, cognoſcens, & adminiſtrans, non ut ſimplex & nuda mens hominis, ſed ut quæ Deo ſecundum hypoſtaſim unita ſit, Deique mens exiſtat*.

Quod autem ejuſcemodi ſcientiam in ipſa ſua conceptione Chriſtus habuerit, hac eadem demonſtratione probatur. Si enim ratione hypoſtaticæ unionis cum Verbo decurſſe dicendum eſt, ut Chriſtus infuſa ſcientia non careret: ergo dicendum eſt etiam, quod a primo incarnationis inſtanti ſcientiam illam acceperit. Hinc Auguſtinus in lib. 2. de peccat. mer. c. 29. ait: *Quam plane ignorantiam nullo modo crediderim fuiſſe in infante illo, in quo Verbum caro factum eſt, ut habitaret in nobis*. Hæc non te videre pigeat quæ ſcribit Apoſtolus ad Hebr. 10. v. 5. Poſtremo ſi Angelus, & primus homo in ſui creatione infuſam ſcientiam habuerunt, ut ſuis in locis oſtenſum eſt, audebitne quis infuſam ſcientiam Chriſto Angelorum hominumque Domino denegare?

Propoſitio 5. Fuit in Chriſto experimentalis etiam ſcientia & acquiſita.

Probatur. Scientia experimentalis & acquiſita ea dicitur, quam per ſpecies ab ipſis rebus acceptas praxi ſenſuumque miniſterio comparamus.

mus. Atqui anima Christi per totum vitæ suæ decursum hoc modo præsentia percepit objecta, v. g. patrata a seipso miracula, discipulorum obedientiam, Pharisæorum insidias, & quæcunque ab initio per anteceptam notitiam interiori mente prænoverat. Non enim dicendum est, quod usus tum interni tum externi sensus vel Christo defuerit, vel in ipso fuerit otiosus.

Hoc scientiæ genus non semel Scriptura commemorat: hinc Isaiæ 7. v. 15. legitur: *Butyrum & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum*. Hebr. 2. v. 18. *In eo enim, in quo passus est ipse, & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari*. Et in eadem epist. c. 5. v. 8. *Cum esset Filius Dei, didicit ex iis quæ passus est, obedientiam*. Denique ubicunque Scripturæ admirationem Christo tribuunt, hujusce experimentalis scientiæ significationem ostendunt.

Objicies 1. contra 2. partem. Si Anima Christi ante passionem, Deum intuitive vidisset, gloria ejus redundasset in corpus, uti Beatis post resurrectionem eveniet: atqui ita in Christo non accidit, cujus corpus passibile ac mortale fuisse dubitare non possumus.

Resp. quod cum Christus comprehensor simul esse voluerit & viator, ut opera sua meritoria forent, ac corpus suum mortem oppeteret, atque ita nos patiendo redimeret; idcirco miraculo contigit, ut gloria intra animam teneretur, nec redundaret in corpus. Ut tamen suæ interioris gloriæ testimonium exhiberet Apostolis, & ab eorum cordibus de passione sua scandalum removeret, aliquando permisit, ut animæ gloria in corpus effueret, dum in monte

te Thabor ſplendore nimio circumfuſus apparuit.

Neque dicas, quod ſtatus comprehenſionis, & ſtatus viæ ſimul in eadem perſona repugnent. Etſi enim duplex ille ſtatus in eodem ſubjecto ſecundum eundem reſpectum ſimul eſſe non poſſit; ſecundum tamen diverſa connotata non pugnat. Nam ut Doctor Angel. ait in 3. p. q. 15. a. 10, perfecta hominis beatitudo conſiſtit in anima ſimul & corpore: *in anima quidem, quantum ad id; quod eſt ei proprium ſecundum quod mens videt, & fruitur Deo. In corpore vero, ſecundum quod corpus reſurget ſpirituale, & in virtute, & in gloria, & incorruptione, ut dicitur* 1. *Cor.* 15. *Chriſtus autem ante paſſionem, ſecundum mentem plene videbat Deum: & ſic habebat beatitudinem quantum ad id, quod eſt proprium animæ. Sed quantum ad alia deerat ei beatitudo: quia & anima ejus erat paſſibilis, & corpus paſſibile, & mortale. Et ideo ſimul erat Comprehenſor, in quantum habebat beatitudinem propriam animæ: & ſimul viator, in quantum tendebat in beatitudinem, ſecundum id, quod ei de beatitudine deerat.*

At urgebis. Intelligi nequit, quomodo Chriſtus ſecundum animam beatus fuerit, fueritque paſſibilis; fieri namque non poteſt, ut eadem indiviſibilis animæ ſubſtantia ſummum de beatitudine gaudium, ſimulque ſummum ex paſſione dolorem ac triſtitiam experiatur.

Plures Scholæ Theologi difficillimo huic argumento reponunt, quod anima Chriſti ſecundum ſuperiorem rationem, ſive quatenus mens divinitati in ſe inſpectæ adhærebat, omni momento fruebatur & delectabatur; ſed prout corporeo ſenſu recipiebat illatam cruce claviſque paſ-

paſſionem, ſecundum rationem inferiorem, quam *ſenſualitatem* appellant, afficiebatur dolore. Lege P. Berti in lib. 26. c. 9.

Sed multo melius nodum iſtum ſolviſſe videtur S. Bonaventura, dum in 3. d. 16. a. 2. q. 2. ait; „ quod ſecundum communem ſententiam Magiſtrorum paſſio Chriſti non ſolum fuit in ſenſualitate, nec tantum pervenit ad rationem inferiorem, ſed extendit ſe „ uſque ad ſuperiorem portionem. Sicut enim „ anima noſtra ex conjunctione ſui ad corpus „ infectum tota corrumpitur, & tota inficitur „ ſecundum omnem ſui vim, & ſecundum omnem „ partem, ſcilicet tam ſuperiorem, quam inferiorem: ſic anima Chriſti ex conjunctione ſui ad „ corpus patiens & afflictum tota patiebatur, & „ affligebatur, ut per illam paſſionem, & dolorem illum tota peccatrix anima curaretur: „ & ſic dolor, & paſſio fuit in Chriſto ſecundum ſupremam rationis partem, quamvis in „ ea fuerit gaudium fruitionis. Licet autem „ hoc teneatur tanquam verum; difficile tamen „ eſt ad intelligendum, qualiter in anima Chriſti ſecundum eandem potentiam, & ſecundum „ eundem ſtatum potentiæ fuerit dolor, & gaudium, nec dolor ſuperveniens diſcontinuaverit gaudium, immo fuerit ſimul: nec iterum „ (quod majus eſt) dolor intenſus valde, fecerit gaudium eſſe minus perfectum.

„ Ad hæc autem intelligenda, tria oportet „ ſupponere, quæ ſunt vera & probabilia, videlicet quod gaudium fruitionis, & dolor paſſionis non ſunt affectiones contrariæ, quia „ non ſunt reſpectu ejuſdem, nec omnino eodem modo inſunt eidem; ſed unum ineſt per

„ ſe,

„ ſe, alterum per accidens; quia gaudium in-
„ eſt propter conjunctionem gratuitam ipſius
„ cum deitate, ſed dolor propter naturalem
„ conjunctionem ipſius cum carne; & quia non
„ ſunt affectiones contrariæ, poſſunt in anima
„ eſſe ſecundum eandem partem. Secunda ſup-
„ poſitio eſt, quod non tantum hujuſmodi do-
„ lor, & gaudium non ſunt contraria, ſed unum
„ eſt materiale reſpectu alterius; & ideo ſimul
„ eidem ineſſe potuerunt, ſicut in vero pœni-
„ tente videmus, quod ſimul dolet, & de do-
„ lore gaudet: ſic & anima Chriſti ſecundum
„ naturam corpori patienti compatiebatur, ta-
„ men de illa paſſione & compaſſione lætaba-
„ tur. Tertia ſuppoſitio eſt, quod Chriſtus ſi-
„ mul erat viator & comprehenſor, ita quod
„ viatoris cognitio non impediebat comprehen-
„ ſoris cognitionem, nec affectio affectionem:
„ & illud fuit in Chriſto ſingulare propter of-
„ ficium Mediatoris, quo debebat experiri &
„ divina, & humana. Unde ſicut ſimul & ſemel
„ poterat perfecte converti ad Deum, & con-
„ verti ad nos; ita quod una illarum conver-
„ ſionum alteram non impediebat, nec retardabat;
„ ſic potuit ſecundum eandem partem animæ
„ ſimul & ſemel gaudere in Deo, & compati
„ corpori ſuo; ita quod nec dolor a gaudio, nec
„ gaudium a dolore pateretur aliquam diminu-
„ tionem, ſive remiſſionem. Concedendum eſt
„ ergo, Chriſtum ſecundum ſuperiorem portio-
„ nem rationis doluiſſe in paſſione, in quan-
„ tum tamen ratio illa conſideratur per mo-
„ dum naturæ. “ Lege hac de re Ven. Scotum in 3. d. 15. q. 1. Vide etiam Card. Gotti in tract. de ſcientia animæ Chriſti q. 1. dub. 3. §. 3. ad

§. ad 4. argumentum, & P. Maſtrium in diſp. 5. de intellectu Chriſti q. 6.

Opponi hic etiam ſolent nonnulli textus, qui demonſtrare videntur, Chriſtum, ut hominem, non niſi poſt paſſionem ad gloriam perveniſſe. Ita Lucæ 24. v. 26. legitur: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum, & ita intrare in gloriam ſuam?* Item ad Hebr. 2. v. 9. *Videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloria, & honore coronatum.* Denique Joan. 7. v. 29. *Nondum enim Spiritus erat datus, quia Jeſus nondum erat glorificatus.*

At adducta teſtimonia non de interna & eſſentiali animæ gloria intelligenda ſunt, ſed de gloria corporis, & de accidentali gloria, quam in Aſcenſione, & in ſui nominis exaltatione Chriſtus obtinuit; nempe poſtquam ille uſque ad mortem crucis eſt factus obediens; uti ſcribit Apoſtolus ad Philip. 1. v. 8.

Objicies 2. contra 4. propoſ. Lucæ 2. v. 52. legitur: *Et Jeſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum, & homines.* Non ergo Chriſtus a primo conceptionis inſtanti perfectam habuit rerum ſcientiam; ſed ſicut ætas, ita & ſapientia ejus, *apud Deum*, ideſt vere proprieque, perfectionem & incrementa ſuſcepit.

Reſp. cum S. Thoma in 3. p. q. 7. a. 12. ad 3., quod *Chriſtus proficiebat ſapientia, & gratia, ſicut & ætate: quia ſecundum proceſſum ætatis perfectiora opera faciebat; ut ſe verum hominem demonſtraret, & in his quæ ſunt ad Deum, & in his quæ ſunt ad homines.* Loquitur ergo Lucas de ſcientia experimentali & acquiſita, qua profeciſſe Chriſtum affirmat, eo quod perfectiora ſemper in dies ſapientiæ, & gra-

gratiæ opera perpetrabat; perfectiora, inquam, tam divino judicio, quam humano. Lege Nazianzenum orat. 20., & Cyrillum lib. 3. contra Neſtorium &c.

Objicies 3. Matth. 8. v. 10. legitur, Chriſtum fuiſſe miratum: atqui admiratio cum plena ſapientia conjungi non poteſt.

Reſp. cum S. Thoma in p. 3. q. 15. a. 8., *quod admiratio proprie eſt de aliquo novo, & inſolito. In Chriſto autem non poterat eſſe aliquod novum, & inſolitum, quantum ad ſcientiam divinam, qua cognoſcebat res in Verbo; neque etiam quantum ad ſcientiam humanam, qua cognoſcebat res per ſpecies inditas. Potuit autem aliquid eſſe ſibi novum, & inſolitum, ſecundum ſcientiam experimentalem, ſecundum quam ſibi poterant quotidie aliqua nova occurrere. Et ideo ſi loquamur de ſeipſo, quantum ad ſcientiam divinam, & ſcientiam beatam, vel etiam infuſam, non fuit in Chriſto admiratio. Si autem loquamur de eo, quantum ad ſcientiam experimentalem; ſic admiratio in eo eſſe potuit. Et aſſumpſit hunc affectum ad noſtram inſtructionem; ut ſcilicet doceat eſſe mirandum, quod etiam ipſe mirabatur. Unde dicit Auguſtinus in 1. ſuper Gen. contra Manichæos c. 8.* Quod mirabatur Dominus, nobis mirandum eſſe ſignificat, quibus adhuc opus eſt hic moveri. Omnes ergo tales motus ejus non perturbati animi ſigna ſunt, ſed docentis Magiſtri.

Non ergo Chriſti admiratio talis fuit, quæ ex ignorantia provenit, ſed quæ ad inſolitum ac novum objectum, licet prævisum, foras erumpit: quo etiam pacto Joan. 11. v. 35. profuſis lacrymis ſigna triſtitiæ dedit ob Lazari mor-

mortem, quam jam ante prænoverat ex v. 14., & appropinquans Jeroſolymis amare flevit, futuram calamitatem exteriori ploratu commonſtrans Lucæ 19. vv. 41. & ſequen. Opponebant ulterius Agnoitæ, quod Chriſtus judicii diem, horamque neſcierit; at ex dictis in lib. 7. c. 8. object. 3. diluitur argumentum.

Quod ſi poſtremo interrogare volueris, ad quænam objecta Chriſti, ut hominis, ſcientia ſe extendat? Reſpondebimus, quod Anima Chriſti omnia prorſus ſive naturalia, ſive ſupernaturalia, ſive præſentia, ſive præterita, ſive futura cognoſcat, ſive dicta, ſive facta, ſive cogitata, ſive quomodocumque ſecundum quodcumque tempus exiſtant. Valde enim congruum eſt, ut Animæ Chriſti omnem ſcientiam creaturæ poſſibilem tribuamus; præſertim cum id etiam Scripturæ manifeſte videantur oſtendere. Nam Joan. c. 3. v. 34. legitur: *Non enim ad menſuram dat Deus ſpiritum* Chriſto: quo in loco etiam ſpiritus ſcientiæ comprehenditur juxta Iſaiæ c. 11. v. 2. Item Apoſtolus ad Coloſſ. 2. v. 3. ſcribit, quod in Chriſto Jeſu *ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Denique ut ait S. Thomas in 3. p. q. 10. a. 2. *ad Chriſtum, & ad ejus dignitatem ſpectant quodammodo omnia, in quantum ei ſubjecta ſunt omnia. Ipſe etiam eſt omnium Judex conſtitutus a Deo*: Quia Filius hominis eſt, *ut dicitur Joan. 5. Et ideo anima Chriſti in Verbo cognoſcit omnia exiſtentia ſecundum quodcumque tempus, & etiam hominum cogitatus, quorum eſt Judex: ita ut quod de eo dicitur Joan. 2.* Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine, *poſſit intelligi non ſolum quantum ad ſcientiam divinam,*

ſed

sed etiam quantum ad scientiam animæ ejus, quam habet in Verbo.

Litigant inter se Scholæ Doctores, an dicendum sit, animam Christi omnia possibilia nosse? Nonnulli Scotistæ id probabile esse tuentur ex eo, quod id ex suis intrinsecis non repugnet, ut in lib. 3. c. 6. notavimus; & quia ut Ven. Scotus ait in 3. d. 13. q. 4., in commendando Christum, potius debemus excedere, quam deficere a laude sibi debita, si nihil rectæ rationi repugnans occurrerit. Vide P. Mastrium in 3. disp. 5. q. 1., ipsumque Subtilissimum Doctorem in 3. d. 14. q. 2. At alii, Thomistæ præsertim, oppositum sentiunt, quos inter legendus est Gotti in q. 2. *de objecto scientiæ animæ Christi* dub. 1. & 2.

CA-

CAPUT VI.

De duplici in Christo voluntate, & operatione.

HÆretici qui vel unam in Christo naturam, sive humanam, sive divinam, vel cum divinitate carnem absque anima, vel sensitivam quidem, non vero rationalem animam admiserunt, Ebionitæ, videlicet, Eutychiani, Arianorum plures, & Apollinaristæ, duplicem voluntatem, & operationem in eo negarunt; ideoque possunt Monothelitarum nomine designari. Hujuscemodi tamen vocabulo passim hæreticorum illorum secta describitur, qui dum duas in Christo naturas admitterent, aut saltem explicite non negarent, unam voluntatem, unamque operationem in illo constituere contenderunt.

Ergo Monothelitæ a μόνος, *unus*, & θέλημα, *voluntas*, dicti sunt. Horum antesignanus extitit Athanasius Jacobitarum Antistes Eutychianus, cujus hortatu Imperator Heraclius anno 629. petiit a Sergio CP., & a Cyro tunc Phasidis, postea Alexandriæ Episcopo, num una, an duplex admittenda in Christo foret operatio, & voluntas. Illi vero unicam statuerunt, quam θεάνδρικην appellarunt, ideſt *Dei-Virilem*, nomine derivato a θεὸς, *Deus*, & ἀνὴρ, *homo*, cujus genitivus est ἀνδρὸς.

Excitatis deinde turbis ob hæresim, quæ Sergii studio disseminari jam cœperat, hic ad Honorium R. P. dedit epistolam omnium dissen-

sionum auctorem facieus Sophronium sanctissimum Jerosolymorum Episcopum; at S. Maximus in epist. ad Petrum Illustrem denudavit, expunxitque calumniam. Defuncto postmodum Honorio Sergius Heraclium movit, ut *Ecthesim*, sive fidei expositionem ederet, in qua una tantum Christi operatio enunciabatur, & una voluntas. Hanc *Ecthesim* Joannes IV. anno 641. proscripsit.

Eidem quoque luto Pyrrhus Sergii successor adhæsit, necnon Paulus, qui patrocinio Imperatoris Constantis in CP. Sedem intrusus est anno 642. Hic anno 648. *Typum*, sive fidei formulam composuit, in qua simulato pacis zelo silentium circa duplicem voluntatem servari præcepit. At Theodorus P. eodem anno, & S. Martinus I. anno sequenti *Typum*, quo ipsa doctrina *Ecthesis* firmabatur, anathemati subjecerunt.

Denique in Œcumenica VI. Synodo CP., quæ celebrata est anno 680., Imperatore Constantino Pogonato, & Agathone Pontifice, Monothelitarum hæresis proscripta fuit, fueruntque damnati, expresso etiam nomine, præcipui illius hæresis propugnatores; atque *Ecthesis*, *Typusque* reprobata fuerunt.

Propositio 1. Duplex est in Christo voluntas, divina scilicet, & humana.

Et quod ad divinam pertinet voluntatem, cum Catholicis Monothelitæ consentiunt. Et profecto Lucæ 13. v. 34. ait Christus: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas . . . quoties volui congregare filios tuos . . , & noluisti?* Id enim non dixit de hominis voluntate, quam recenter assumpserat, sed de voluntate divina, juxta quam sæpe voluit ab impietate Judæos abducere. Ait etiam idem Christus Joann. 5.

v. 21.

v. 21. *Sicut Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat; ſic & Filius, quos vult, vivificat*. Arqui Filius non vivificat *ſicut* Pater, quos vult, humana voluntate: vivificat igitur voluntate divina, quæ ejuſdem eſt cum Patre naturæ.

Eſſe autem in Chriſto humanam etiam voluntatem, ita ex ejuſdem Chriſti verbis oſtenditur. Inquit enim Matth. 26. v. 39. *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte: verumtamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*. Et Lucæ 22. v. 42. *Pater, ſi vis, transfer calicem iſtum a me: verumtamen non mea voluntas, ſed tua fiat*. Quo ſane monſtratur, quod Chriſtus propriam habeat voluntatem a Patris voluntate diſtinctam: habet igitur voluntatem humanam; cum divina voluntas in Chriſto a Patris voluntate nullatenus diſtinguatur.

Hinc S. Ambroſius in citatum Lucæ textum ait: *Suam*, voluntatem, *ad hominem retulit, Patris ad divinitatem: voluntas enim hominis temporalis, voluntas divinitatis æterna*. Et Auguſtinus lib. 3. adverſus Maximinum c. 20. *In hoc quod ait*: Non quod ego volo, *aliud ſe oſtendit voluiſſe, quam Pater, quod niſi humano corde non poſſet ... Nunquam enim poſſet immutabilis illa natura quidquam aliud velle, quam Pater*. Denique Athanaſius contra Apollinarem: *Duas voluntates hic oſtendit, humanam quidem, quæ eſt carnis, alteram vero divinam. Humana enim propter carnis imbecillitatem recuſat paſſionem; divina autem ejus voluntas eſt prompta*.

Idem fidei dogma probatur ex Joan. c. 6. v. 38. ubi dicit Chriſtus: *Deſcendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me*. Quod explicans S. Leo in epiſt.

ad Leonem Augustum ait : *Secundum quidem formam Dei ipse, & Pater unum sunt ; secundum autem servi formam non venit facere voluntatem suam, sed voluntatem ejus qui misit eum.*

Sed accedat huc Damasceni auctoritas, ac multiplex ratio, quam profert ille in orat. de duabus Christi voluntatibus c. 11. *Si quidem non assumpsit humanam voluntatem Christus, qua voluntate factus est Patri obediens? Si non assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate factus est sub lege? Si non assumpsit humanam voluntatem, qua voluntate implevit omnem justitiam? Si non assumpsit humanam voluntatem, non attulit ei remedium, quod primum in morbum inciderat. Quod enim non assumptum fuit, non est curatum ; ut ait Gregorius Theologus : quid enim offenderat, nisi voluntas? Quod ergo offenderat, quod peccaverat, id demum amplius curatione egebat. Quod si neges, id ab eo assumptum, quod peccaverat ; fateare necesse est, nec peccatricem quidem, ac ægram naturam eum assumpsisse. &c.*

Probatur tandem perspicua, & obvia apud Patres, & Theologos ratione, quæ etiam descendit ex dictis. Christus humanam naturam perfectam assumpsit : atqui humanæ naturæ perfectio tum intelligendi tum volendi facultatem expostulat : habet ergo Christus veram hominis voluntatem. Lege S. Bonaventuram in 3. d. 17. a. 1. q. 1.

Propositio 2. Duplex etiam in Christo est operatio.

Probatur adductis huc usque momentis. Sicut enim unitas voluntatis, ita & unitas operationis unicam demonstrat esse naturam ; cum natura quælibet propriam habeat operationem, per quam a na-

a naturis aliis ſpecie diverſis differre cognoſcitur. Unde Baſilius contra Eunomium ait: *Quorum operatio una eſt, horum eſſentia una eſt;* & e contra, uti ex Damaſceno in lib. 3. de fide c. 15., *Quorum diverſa natura eſt, horum eſt diverſa actio*. Si ergo, non repugnantibus Monothelitis, duplex, etiam poſt unionem, eſt in Chriſto natura, duplex in eodem admittenda eſt operatio.

Deinde operationes illæ, quibus corpus occaſionem præbet, uti eſt turbari, triſtari, eſurire, ſitire &c., & illæ etiam, quæ ſubjectionem oſtendunt, uti eſt orare, & obedire, divinitati adſcribi non poſſunt. E contrario autem illuminare cæcos, mortuos ſuſcitare, & alia patrare miracula, opera ſunt quæ nequeunt ab humanitate procedere. Duplicem ergo Chriſtus habuit actionem.

Poſtremo ſi una tantum operatio, nempe divina, in Chriſto fuiſſet, jam omnia argumenta corruerent, quibus Eccleſiæ Patres adverſus antiquos hæreticos oſtenderunt, quod verum corpus, & veram ac rationalem animam idem Chriſtus habuerit. Id enim idcirco dixerunt, quia in Chriſto viſa ſint opera, quæ corpus, & rationalem animam demonſtrabant: at in Monothelitarum opinione operationes illæ non humanæ, ſed divinæ fuiſſent; proindeque divinam quidem naturam oſtenderent, non humanam.

Objicies 1. S. Dionyſius in epiſt. ad Cajum ait: *Deo viro facto, unam quandam Theandricam, ſeu Dei-Virilem operationem expreſſit in vita*.

Reſp. quod uti in Lateranenſi Concilio Secret. 3. & in VI. Generali Synodo notatum eſt, Monothelitæ textum corruperunt. Nam

scripserat Dionysius *novam quandam theandricam operationem*; hæretici vero *novam* in *unam* dolose mutarunt. Hoc igitur in loco, uti S. Maximus, & S. Damascenus observant, Dionysius novam & mirabilem Christi conversationem exponit secundum inexplicabilem hypostaticam unionem. Vox autem illa *novæ theandricæ operationis* quadam per numeratas naturas circuitione eorundem operationes ostendit. Nam si nova illa ac theandrica operatio naturaliter una foret, sicut asseruerunt hæretici; cum eadem Patris Filiique sint opera, sequeretur, quod inspecta divinitatis natura foret etiam in Patre illa eadem theandrica operatio; quod immane quantum absurdum est.

Objicies 1. Cyrillus Alex. lib. 4. in Joan. affirmat, quod Christus unam tantum operationem per ambas naturas ostenderit. Ait enim: *Cum principis synagogæ filiam suscitavit, dicens, Filia surge, apprehendit manum ejus, ut scriptum est: eam nempe omnipotenti suo jussu ut Deus, & rursus tactu sanctæ carnis vivificando, unam & congeneam per hæc ambo ostendit operationem.*

Resp. quod Cyrillus non dixerit, unam & eandem esse divinitatis Christi, & humanitatis ejus operationem; sed unam operationem divinam, & paternam esse significat. Demonstrare enim intendit unam esse divinitatis sine carne, & cum carne operationem, quæ tam Patri, quam Verbo incarnato essentialiter insit: siquidem Verbum etiam post Incarnationem habet eandem operationem communem cum Patre incorporee operante, licet Verbum etiam tactu carnis ipsa miracula cum Patre corpo-

poraliter operetur. Hæc eſt reſponſio Maximi, quæ ex objectis etiam Cyrilli verbis aperte deducitur.

Objicies 3. Operatio pertinet ad perſonam; hinc in Scholis vulgo dicitur: *Actiones ſunt ſuppoſitorum*: atqui in Chriſto una eſt perſona: ergo & una operatio eſt.

Reſp. quod operatio ſpectet equidem ad perſonam; *ſed ſecundum formam, & naturam, a qua operatio ſpeciem recipit*; ut ait Doctor Angelicus in p. 3. q. 19. a. 1. Unde Scholæ ajunt, quod actiones ſunt ſuppoſitorum non *elicitive*, ſed *denominative* dumtaxat: nam perſonalitas non eſt efficiendi virtus, neque ipſa efficit actiones; ſed denominatio actionis ipſi perſonæ tribuitur, quia perſonalitas eſt modus pertinens ad eſſe ſubſtantiale naturæ. Lege P. Ferrari in Metaphyſicis qq. Ex quo igitur una eſt perſona Chriſti, conſequitur utique, quod unus denominetur operans; quia vero in ipſo multiplex eſt intellectualis natura, multiplex etiam eſt intelligendi volendique facultas, & operatio. Sicuti ſcilicet in SS. Trinitate licet tres ſint perſonæ, unica tamen operatio eſt, qua illæ agunt ad extra; quia nempe natura unica eſt, & unicum operandi principium.

At inſtabis. Inſtrumentum non propria voluntate movetur, ſed voluntate cauſæ principalis: atqui humana natura in Chriſto eſt ſicuti divinitatis inſtrumentum. Lege Athanaſium orat. 4., Cyrillum Alex. in dialogo de Incarnatione, alioſque Patres.

Reſp. cum S. Thoma in 3. p. q. 18. a. 1. ad 2., quod major propoſitio vera ſit, ſi de inanimi inſtrumento loquamur, non autem ſi in-

ſtrumentum ratione ſit præditum. *Proprium eſt inſtrumenti*, inquit Doctor Angel., *quod moveatur a principali agente: diverſimode tamen ſecundum proprietatem naturæ ipſius. Nam inſtrumentum inanimatum (ſicut ſecuris, aut ſerra) movetur ab artifice per ſolum motum corporalem. Inſtrumentum vero animatum anima ſenſibili movetur per appetitum ſenſitivum, ſicut equus a ſeſſore. Inſtrumentum vero animatum anima rationali movetur per voluntatem ejus, ſicut per imperium domini movetur ſervus ad aliquid agendum: qui quidem ſervus eſt ſicut inſtrumentum animatum, ut Philoſ. dicit in 1. Politic. c. 3. & 4. Sic ergo humana natura in Chriſto fuit inſtrumentum divinitatis, ut moveretur per propriam voluntatem.*

Addit præterea S. Doctor in eadem parte q. 19. a. 1. ad 2., quod *actio inſtrumenti, in quantum eſt inſtrumentum, non eſt alia ab actione principalis agentis: poteſt tamen habere aliam operationem, prout eſt res quædam. Sic igitur operatio, quæ eſt humanæ naturæ in Chriſto, in quantum eſt inſtrumentum divinitatis, non eſt alia ab operatione divinitatis: non enim eſt alia ſalvatio, qua ſalvat humanitas Chriſti & divinitas ejus. Habet tamen humana natura in Chriſto, in quantum eſt natura quædam, quandam propriam operationem præter divinam.*

Ex huc uſque dictis infertur 1., duas, quæ in Chriſto ſunt, voluntates appellandas eſſe *naturales*. In Chriſto enim Jeſu duæ ſunt naturæ, divina ſcilicet, & humana: atqui Divinitas non habet naturaliter voluntatem humanam, neque humanitas naturaliter habet divinam voluntatem: eſt ergo humana voluntas na-

naturaliter diverſa a voluntate divina.

Erroneum igitur eſt, quod Monothelitæ nonnulli cum Macario unam in Chriſto voluntatem *perſonalem*, alii vero cum Pyrrho unam *gnome*, aut ſententia, alii denique unam *habitudine*, ac modo dixerunt. Et ſane ſi propter perſonæ unitatem una Chriſti voluntas dici deberet, cum in SS. Trinitate tres ſint divinæ perſonæ, dicendum eſſet, tres in Deo *perſonales* voluntates exiſtere: quod valde profanum eſt; cum una ſit voluntas, ubi eſt una natura. Ergo propter unitatem hypoſtaſis una voluntas *perſonalis* in Chriſto enunciari non poteſt; & ſicuti propter unitatem perſonæ Chriſtus dicitur unus volens, ita duæ in ipſo dicendæ ſunt *naturales* voluntates propter differentiam naturarum.

Tum *gnome* aut ſubſtantia eſt, aut ſententia. Si primum; cum in Chriſto ſint duæ ſubſtantiæ & naturæ, oportet ut duæ ſint juxta *gnomen* voluntates. Si vero *gnome* ſententia eſt, uti Pyrrhus ajebat; *gnome* aut ipſa voluntas erit, aut quod ex voluntate promanat: proindeque quemadmodum dici nequit voluntas una voluntate, aut una motu voluntatis, niſi ubi eſt una natura, ita una voluntas *ſententialis* dici in Chriſto non poteſt.

Neque tandem ſtatui in Chriſto debet una ſecundum *habitudinem* modumque voluntas. Ejuſcemodi namque *habitudo* vel afficit ipſam voluntatem, vel perſonam, vel naturas, vel tantum ad objecta refertur. Si poſtremum hoc dixeris, debes voluntates complures ſtatuere: at iſthæc habitudo non facultates multiplicat, ſed ſolos actus. In divina autem natura ac hypoſtaſi nulla excogitari poteſt affectio. Solam

er-

ergo naturam humanam habitudo potest afficere. Non ergo in eadem Persona, cui humana inest & divina natura, asserere debemus unam habitudine voluntatem. Dicenda est itaque duplex *naturalis* in Christo voluntas, & duplex operatio *naturalis*.

Infertur 2., quod licet Christi operationes *Theandricæ* dicendæ sint, non tamen juxta Monothelitarum errorem, qui unam & indivisam operationem *Theandricam* appellarunt. Qua in re notandum occurrit, quod Christus est utique Deus homo; proindeque omnis ejus operatio *Theandrica* est eo in sensu, quod omnis operatio erat *Dei-hominis*, sive operationis principium esset divina, sive humana natura. At quoniam, uti diximus, nulla operatio proprie dicitur *personalis*, sed naturalis appellanda est; illam operationem *Theandricam* proprie nuncupamus, quæ ab utraque natura efficienter emanat, uti est per virtutem divinitatis, & per tactum carnis miracula perpetrare. Alias omnes appellabimus operationes aut divinas, aut humanas, prout a natura una, vel altera naturaliter prodiere: sic ambulare, dormire, comedere, humana operatio dicitur; dare Spiritum Sanctum, & peccata dimittere, operatio divina vocatur. At propter hypostaticam unionem utraque natura semper conjunctim operabatur, & humana semper ad nutum ac regimen divinitatis agebat: quanquam non esset quælibet operatio utriusque naturæ proprietas, vel effectus.

Videndum hic postremo esset, num Honorius R. P. Monothelitis adhæserit, an saltem eis silentio faverit; an insuper uti hæreticus, vel saltem uti hæreseos fautor in VI. Synodo cum Ser-

Sergio, Pyrrho, aliisque Monothelitis excommunicationis sententiam reipsa subierit. At de hoc argumento opportunius differemus, dum in fine operis de Locis Theologicis pro rei dignitate tractabimus.

CAPUT VII.

In quo de Christi sanctitate, impeccabilitate, & libertate differitur.

HActenus ostendimus, humanam in Christo esse voluntatem a divina voluntate distinctam. Superest modo, ut de quibusdam perfectionibus breviter disputemus, quibus humana ejusdem voluntas instruitur, cujusmodi sunt sanctitas, impeccabilitas, & libertas.

Et quod ad primum attinet, firmissime credendum est, Christum eximia præditum fuisse sanctitate; uti passim Scripturæ testantur. Hinc Dan. 9. v. 24. dicitur ille *Sanctus sanctorum*; & Lucæ 1. v. 35. ait Angelus ad Mariam: *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei*. Denique uti scribit Hieronymus in c. 1. Matth. *Sanctum Dominum futurum omnis Scriptura commemorat*.

Duplex autem in Christo sanctitas est; substantialis nempe, quæ ex hypostatica unione descendit; & accidentalis, quæ in dono creato, ac inhærente qualitate consistit. Posterioris hujusce generis sanctitatem nonnulli Scholastici, uti superfluam, in Christo admittere nolue-

luerunt : at cum Chriſti humanitas dona illa habere debeat, quæ ipſam in genere ſuo perficiunt, & ad ſupernaturaliter operandum connaturali modo conducunt; inter ejuſcemodi vero dona adnumeranda eſt gratia habitualis, ſive ſanctificans, quæ ab accidentali ſanctitate non differt; dicendum profecto videtur, quod ſicut in Juſtis aliis, ita & in Chriſto accidentalis admittenda ſit ſanctitas, per quam veluti per intrinſecum & formale principium recta animæ habitudo & affectio obtinetur.

Id Theologi quidam ex Auguſtino confirmant, qui in lib. 15. de Trin. c. 26. ait : *Dominus ipſe Jeſus non ſolum Spiritum Sanctum dedit, ut Deus, ſed etiam accepit ut homo; & propterea dictus eſt plenus gratia. Quia unxit eum Deus Spiritu Sancto; non utique oleo viſibili, ſed dono gratiæ, quod viſibili ſignificatur unguento, quo baptizatos ungit Eccleſia.* Ergo ſicut in iis qui baptizantur, ita & in Chriſto creatum gratiæ donum, & accidentalis ſanctitas invenitur. Lege Seraph. Doctorem in 3. d. 13. a. 1. q. 1.

Quod ſi hic interrogare quis vellet, an ejuſcemodi ſanctitas, ſive gratia in Chriſto infinita fuerit, vel finita; præſto nobis eſſet ex S. Bonaventura reſponſum, qui in citato articulo q. 2. ait : Si loquamur de gratia Chriſto collata abſolute & in ſeipſa, *ſic cum dicat donum creatum, neceſſario finitum eſt & menſuratum.* Si autem loquamur de gratia illa relate ad gratias aliorum hominum, *propter conjunctionem ſummam cum Verbo æterno habet excedere in infinitum, & incommenſurabiliter gratias aliorum hominum tripliciter, ſcilicet quantum ad virtu-*

tum

sum habitus, & quantum ad usus, & quantum ad effectus. Quantum ad habitus: nunquam enim aliqua creatura potest tantum proficere, quod tam nobilis & perfecti habitus sit capax, sicut anima conjuncta Deo in unitate personæ. Quantum ad usus virtutum, quia omnes virtutes in Christo habuerunt usus suos, qui spectant ad perfectionem, & propterea dicuntur fuisse in eo omnes sensus; quia usum habuit completum omnium donorum excellentiori modo, quam unquam adhuc pertingi possit ab aliquo. Quantum ad effectum similiter improportionabiliter excedit gratia Christi: quia propter hoc quod ille homo erat Dei Filius, meritum illius pensatur secundum dignitatem illius personæ, a qua exit opus: & propterea meritum passionis suæ in infinitum excedit merita passionum nostrarum, & ob hoc quod Deus erat, mors ejus pensata fuit a Deo, quantum erat ille, qui moriebatur.

Fuit etiam in Christo gratia actualis; non ea quidem, quæ hominem vel a Deo aversum, vel in bono torpentem excitat accenditque; cum Christus ad optima quæque vigil semper fuerit, semperque optima quæque patraverit: sed ea gratia in ipso fuit, quæ ad omnem supernaturalis ordinis actionem simpliciter & absolute requiritur; omnis enim creatura essentialiter, ac necessario a Deo dependet, præsertim in iis quæ naturalem virtutem & actionem excedunt.

Habuit quoque Christus gratias gratis datas, uti decebat primum & principalem spiritualis doctrinæ & fidei Præceptorem. Neque donis Spiritus Sancti caruit, cum ad heroicos actus, & supra communem prudentiæ regulam ab eodem

dem Spiritu moveretur. In ipſo inſuper extiterunt morales virtutes tum quæ infuſæ, tum quæ acquiſitæ dicuntur; iis tamen exceptis, quæ vel peccatum ſupponunt, vel ſtatui beatitudinis adverſantur. Ita licet eximia charitas in Chriſto fuerit, qua Deum propter ſeipſum, & humanum genus propter Deum amabat; fides tamen, & ſpes nunquam in eo fuerunt.

Et ſane fides eſt argumentum non apparentium; & ſpes circa ea verſatur, quæ nondum habentur: atqui Chriſtus a primo ſuæ conceptionis inſtanti perfecte Deum per eſſentiam vidit, utpote perfectus ſecundum animam Comprehenſor. Quare cum tam fidei, quam ſpei objectum principale ſit Deus; fidei quidem quatenus in ænigmate & obſcure cognoſcitur; ſpei vero, quatenus nondum habetur, ſed adhuc per patientiam exſpectatur; perſpicuum profecto eſt, quod neque fides, neque ſpes in Chriſto locum habuerit. Lege quæ ſcripſimus in lib. 14. cc. 7. & 11.

Ergo cum in Chriſto omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ eſſent abſconditi, ea non habuit, quæ nobis in hac vita peregrinantibus, & adhuc a Dei viſione remotis tribuit Apoſtolus in 1. ad Cor. c. 13., nempe ex parte cognoſcere, videre per ſpeculum, cogitare ut parvuli. Ita neque pœnitentiæ virtus Chriſto tribuitur, propter ſcilicet malum adjunctum. Harum itaque virtutum loco quædam longe perfectiora Chriſtus habuit; uti loco fidei claram viſionem, & loco ſpei plenam comprehenſionem; ſicuti & loco pœnitentiæ perfectam omnis peccati deteſtationem in ipſo fuiſſe fatemur.

Opponi hic poteſt, quod Scriptura, præſertim

tim in Pſalmis, ſpem Chriſto non ſemel attribuat. At in Pſalmis multa ex Chriſti perſona dicuntur, non quatenus Caput eſt, ſed quatenus in membris ſuis loquitur, cum quibus unum corpus ille conſtituit; uti paſſim adnotat Auguſtinus, dum Pſalmos exponit.

Tandem advertimus, quod etſi ſpem Chriſtus habuerit relate ad ea, quæ nondum erat adeptus, ut puta relate ad corporis reſurrectionem, ad nominis claritatem &c., ea tamen Theologica virtus non fuit; nam alia quidem bona, non vero Deum ipſum pro principali objecto reſpexit.

Quod autem ad alteram ſpectat hujuſce capitis partem aſſerimus, quod nullum fuerit in Chriſto peccatum. Id enim Scriptura, Traditio, ac ipſa denique ratio aperte commonſtrant. Et quidem Apoſtolus ad Hebr. 4. v. 15. de Chriſto ſcribit; *Tentatus per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*. Et eadem in epiſt. c. 7. v. 26. *Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus*. Idem quoque S. Petrus affirmat in epiſt. 1. c. 2. v. 21. *Qui peccatum non fecit, nec inventus eſt dolus in ore ejus*. Tandem ipſe Chriſtus Joan. 8. v. 46. ait; *Quis ex vobis arguet me de peccato?*

Inter Patres autem Auguſtinus in lib. 2. de peccat. mer. c. 11. inquit: *In cujus non tantum divinitate, ſed nec in anima, nec in carne, ullum potuit eſſe peccatum*. Alii denique omnes Auguſtino conſentiunt.

Poſtremo ſi Chriſtus peccato fuiſſet obnoxius, indiguiſſet & ipſe alio Redemptore; neque Patri pro nobis ſatisfactionem potuiſſet offer-

re;

re; neque tandem inter ipſum & alios Sacerdotes diſcrimen illud intercedere potuiſſet, quod deſignat Apoſtolus ad Hebr. 7. v. 27. ſcribens: *Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi.*

At objiciunt quod in Pſal. 21. v. 2. legitur: *Deus, Deus meus, reſpice in me: quare me dereliquiſti? Longe a ſalute mea verba delictorum meorum.* Et Matth. 27. v. 46. *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me?* Tandem Apoſtolus in 2. ad Cor. c. 5. v. 21. ait: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*

Reſp. quod Chriſtus delicta noſtra dixerit eſſe ſua, quia charitate permotus pœnam delictis noſtris debitam ſuſtinere dignatus eſt. Lege Iſaiæ c. 53. Neque ea Chriſti verba: *Deus meus &c.*, ipſum in cruce deſperaſſe concludunt, uti Calvinus aſſeruit; cum ibi Chriſtus ad Patrem exclamando confugiat, eundemque enixe precetur, & doloris ſui acerbitatem veritatemque ſuſceptæ humanitatis oſtendat.

Metonymice autem Chriſtus dicitur feciſſe peccatum, quatenus nempe pro peccatis noſtris ſe hoſtiam obtulit Deo Patri; quo in ſenſu tum alibi, tum Oſeæ 4. v. 8. nomen illud accipitur: *Peccata populi mei comedent* Sacerdotes; factas nempe pro ſceleribus oblationes.

Ex dictis non tantum apparet, Chriſtum nunquam reipſa peccaſſe, verum etiam nec peccare ullatenus potuiſſe. Hujuſce autem rei ratio triplex affertur a S. Bonaventura in 3. d. 12. a. 2. q. 1., *ſcilicet plenitudo gratiæ, conſummatio gloriæ, & unio divinæ naturæ & humanæ. Plenitudo gratiæ facit quod ipſe Chriſtus ſecundum*

dum humanam naturam habuit gratiam confirmationis; ſed illa gratia adeo liberum arbitrium confirmat, ut nullo modo poſſit infirmari per culpam. Hoc ipſum facit conſummatio gloriæ, quæ quidem fuit in Chriſto a ſuæ conceptionis primordio: ſtatim enim fuit beatus, & comprehenſor; & ſicut beatus non poteſt damnari, ſic etiam non poteſt prævaricari: ac per hoc in Chriſto nulla potuit eſſe ſecundum animam macula peccati. Poſtremo hoc efficaciſſime facit unio divinæ naturæ, & humanæ in unitatem perſonæ, quæ unio facit, ut idiomata communicentur, & ipſa non poteſt frangi. Si ergo Deus non poteſt eſſe peccator, & non poteſt non eſſe homo; planum eſt, quod illa unio nullatenus ſuſtinet Chriſtum ſecundum humanam naturam peccare potuiſſe.

Seraphici ergo Doctoris opinio eſt, Chriſti impeccantiam ex eo potiſſimum derivare, quod ſanctiſſima ejus Humanitas hypoſtatice ſit conjuncta cum Verbo, a quo in agendo dirigitur, & cum quo actiones quaſcunque communicat. Nonnulli vero Scholaſtici, & Scotiſtæ præſertim, non hypoſtaticæ unioni Chriſti impeccabilitatem adſcribunt, ſed ſoli beatitudini, qua confirmationem in bono Chriſtus obtinuit. Hinc iſti cenſent, quod licet reipſa, & juxta ordinariam Dei potentiam, Chriſti Humanitas peccatum neque patravit, neque patrare potuerit; non tamen de potentia abſoluta repugnet, quod poſita etiam unione cum Verbo peccaret.

At S. Bonaventuræ ſententia præterquam quod non obſcuræ rationi innixa videtur, magis etiam apertiuſque Patrum doctrinæ conſentit.

Nam Dionyſius Alex. in epiſt. ad Paulum Samoſatenum ait : *Niſi Chriſtus idem eſſet Deus Verbum, non poterat eſſe alienus a poteſtate peccandi* . Cyrillus Alex. lib. 6. in Joan. *Prorſus fieri nequit, ut in peccatum incidat, qui ex Deo prodiit Deus verus* . Denique Auguſtinus in Enchir. c. 40. ſcribit, quod in Incarnatione contigerit, ut natura hominis *Verbo Deo copularetur in tantam perſonæ unitatem, ut idem ipſe eſſet Filius Dei, qui Filius hominis; & Filius hominis, qui Filius Dei : ac ſic in naturæ humanæ ſuſceptione fieret quodammodo ipſa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum poſſet admittere* . Ex quibus profecto textibus, aliiſque compluribus, quos brevitatis cauſa præterimus, evidenter eruitur , quod Patres impeccabilitatem in Chriſto referant ad unionem cum Verbo, qua ei naturalis facta eſt gratia , cum idem ipſe ſit Dei Filius, & Filius hominis. Ac proinde ſi Dei Filius peccare non poteſt , nec peccare poteſt Filius hominis , qui ſimul eſt Dei Filius ; alioquin peccatum Filii hominis eſſet Filii Dei peccatum.

Ergo Chriſti anima præter adventitiam impeccantiam, quæ ex divinitatis contemplatione procedit, quæque in comprehenſoribus omnibus invenitur, eſt etiam ſubſtantialiter impeccabilis ob hypoſtaticam cum Verbo unionem, cujus reſpectu peccatum admittere omnino non poteſt. Lege S. Thomam in p. 3. q. 15. a. 1., & q. 18. a. 4. ad 3.

Ut tandem de Chriſti libertate loquamur, primum recolenda monemus quæ in lib. 4. cc. 2. & 3. diximus, & inſuper adnotamus, quod Chriſtus obſtrictus fuerit naturalibus poſitiviſque præ-

præceptis. Naturalia legem reſpiciunt a natura nobis ingenitam, ut quod colendus ſit Deus, ſint honorandi parentes &c. Poſitiva vero legem aliquam poſitivam includunt, uti ex. gra. quod perferenda eſſet crux, mortiſque ſupplicium.

Notandum eſt etiam, quod omne præceptum, ſive poſitivum ſive naturale, duo contineat; ſubſtantiam nempe præcepti, & circumſtantias eidem adnexas: ita in præcepto dilectionis Dei, ſubſtantia præcepti eſt ipſa dilectio; hoc autem, illudve motivum, ex quo dilectionis actus elicitur; hic vel ille finis, ad quem dilectio ordinatur, circumſtantiæ ſunt præcepti. Item in præcepto de ſuſtinenda morte, quod impoſitum Chriſto fuit, ipſa mors eſt præcepti ſubſtantia; hic autem vel ille mortis ſubeundæ modus, hoc vel illud tempus, hoc vel illud motivum, ad circumſtantias præcepti refertur.

Conſentire in eo Theologi ſolent, quod Chriſtus circa ſubſtantiam præceptorum legis naturalis liber omnino non fuerit; qua enim neceſſitate nequit Deus negare ſeipſum, eadem non potuit Chriſtus non ſervare legis naturæ præcepta. Liber itaque dumtaxat fuit circa varia motiva, varioſque fines, ad quos ejuſcemodi præceptorum obſervantiam referebat.

De poſitivis ergo præceptis, ac præcipue de præcepto mortis, hic potiſſimum dubitatur: an nempe liber Chriſtus fuerit circa hujuſce præcepti ſubſtantiam. Nam ſi Chriſtus libere potuit non mori, videtur conſequi, quod potuerit etiam Patris præceptum tranſgredi, adeoque peccare; aut e contra, ſi peccare non potuit, conſequens eſſe videtur, quod non liber-

tate, ſed neceſſitate mortem obierit,

Scholæ Doctores ut ſpinoſo huic occurrerent argumento, ac Chriſti libertatem cum ejuſdem impeccabilitate componerent, in plures abiere ſententias, quarum hic præcipuas referemus. Et nonnulli quidem aſſeruere, quod ſtante mortis præcepto, Chriſtus in ſenſu compoſito non potuerit non mori; nihilo tamen minus liber idcirco fuit, quod abſolute & in ſenſu diviſo non mori potuerit. At iſte explicandi modus gravem patitur difficultatem. Nam hypoteſis quæ conſenſum voluntatis noſtræ præcedit, potentiam ad oppoſitum adimit, & creatæ libertatis indifferentiam labefactat. Atqui ejuſcemodi eſſe videtur hypotheſis præcepti, quod Pater Chriſto, ut moreretur, indixit. Ergo niſi aliquid aliud hujuſce opinionis Patroni ſubjungant, explicare recte non poterunt Chriſti libertatem, quæ profecto requirit, ut ſenſus ipſe diviſus, vel compoſitus moriendi ſub Chriſti poteſtate conſtiterit.

Arbitrantur alii, quod Chriſtus liber fuerit circa præcepta, quia licet præcepti objectum veluti generice inſpectum, & quoad ſubſtantiam præterire nequiverit, utputa mortem; ejus tamen arbitrio relictæ fuerunt non tantum circumſtantiæ mortis, verum etiam interiores ſubeundæ mortis actus, & hoc vel illud exequendi præcepti motivum: hæc enim omnia Chriſto imperata non fuiſſe videntur. Probant id exemplo Martyrum, qui licet, ut ceteri homines, neceſſario fuerint ſuo tempore morituri, meruerunt tamen libere præveniendo mortem, quam illis inflixere tyranni.

At contra. Si Chriſtus liber quoad ſubſtantiam

tiam mortis imperatæ non fuit ; ergo neque per mortem meruit, neque in obeunda morte Patri ſuo vere fuit obediens ; quod Scripturæ textibus inferius referendis opponitur . Neque Martyrum exemplum hujuſce controverſiæ explicationi conducit ; quia licet ſtatutum ſit hominibus ſemel mori , non tamen certum ac manifeſtum nobis eſt mortis noſtræ tempus, ac ſpes ſemper affulget vitæ ulterius protrahendæ ; & ideo SS. Martyres mortem citius obeundo, ac ſpei prolixioris vitæ renunciando, meriti laudem habuerunt , ampliſſimumque præmium reportarunt.

Putarunt alii, quod nullum Chriſto impoſitum fuerit moriendi præceptum . At id Scripturæ manifeſte repugnat ; nam Joan. 10. v. 18. Chriſtus ait : *Hoc mandatum accepi a Patre meo* . Et c. 14. v. 31. *Sicut mandatum dedit mihi Pater , ſic facio* . Et ad Philip. 5. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem , mortem autem crucis* . Obedientia autem ſupponit verum propriumque mandatum : & qui negant verum Chriſto impoſitum fuiſſe præceptum, veram & in ipſo obedientiam negant , ejuſdemque laudem enervant & meritum.

Cenſent nonnulli , Chriſto non abſolutum impoſitum fuiſſe moriendi præceptum , ſed conditionatum tantummodo, & a libero ejus conſenſu omnino dependens ; ita nimirum ut ille licet imperatam a Patre mortem acceptaverit, eam tamen non acceptare potuerit . At intelligi omnino non poteſt , quomodo Chriſtus potuerit mortem reſpuere , qui concordem cum Patre voluntatem habebat, ſimulque optime norat, quod idcirco miſſus eſſet in mundum ,

ut sanguinem vitamque pro hominum redemptione profunderet. Hinc & ipse Christus absolutum indicat moriendi præceptum, dum de sua morte sic ait Matth. 26. v. 54. *Quomodo ergo implebuntur Scripturæ, quia sic oportet fieri*. Denique uti bene notat Mastrius in 3. disp. 3. q. 9. a. 2. juxta communiorem opinionem Christus ob eximiam sanctitatem determinatus erat non solum ad non peccandum, sed etiam ad efficiendum id, quod melius judicabat: atqui velle mori, simpliciter & absolute melius erat, quam obtenta dispensatione, vel denegata acceptatione, vitare mortem, & humanum genus in peccato relinquere, vel saltem modo minus perfecto redimere: non ergo potuit præcepti dispensationem petere, vel mortem non acceptare pro suæ voluntatis arbitrio.

Opinantur præterea quidam, quod repetenda sit Christi impeccabilitas ex sola efficacia gratiæ, quæ humanam ejus voluntatem in bono firmabat; & quod libertas sita fuerit in intrinseca ad oppositum indifferentia, quæ per efficacem gratiam non auferatur; quo sane modo, qui in bono confirmati sunt, adhuc libere operantur. At Christi impeccantia physica est, non moralis; cum non tantum ex efficaci & confirmante gratia oriatur; verum etiam ex visione beatifica, & hypostatica unione, uti supra notavimus. Hinc Christus absolute impeccabilis dicitur; qui vero in gratia confirmati sunt, absolute loquendo, peccabiles appellantur.

Denique communior Scotistarum assertio est, quod Christus libere mortem obierit, non quidem proxima libertate, ita nimirum ut non mori

mori potuerit, quia tunc etiam peccare potuiſſet tranſgrediendo præceptum; ſed libertate remota dumtaxat; quia ſi creata Chriſti voluntas in ſeipſa & quoad intrinſecam indifferentiam conſideretur, poterat ille non obedire præcepto, licet ut obtemperaret, aliunde contigerit, ab extrinſeca nempe cauſa; cujuſmodi profecto eſt tum plenitudo gratiæ, tum conſummatio gloriæ, tum hypoſtatica unio divinæ humanæque naturæ. Quamvis autem remota libertas in nobis non ſufficiat ad merendum, ſed & proxima requiratur; ex ſpeciali tamen diſpenſatione ſatis illa fuit in Chriſto; ſicuti ſcilicet ex ſingulari etiam privilegio contigit, ut Chriſtus dum Comprehenſor erat, eſſet & Viator, poſſetque mereri; certum eſt autem, quod meritum ſine libertate non conſtet. Et hanc quidem opinionem non improbabilem judicamus; licet ob privilegii ſingularitatem non ita captu facilis videatur. Lege Maſtrium in citata quæſtione a. 3. & 4., cui multum favere videtur S. Bonaventura in 3. d. 18. a. 1. q. 2.

Per remotam igitur libertatem, quæ cum intrinſeca contingentia jungitur, exponunt Scotiſtæ Scripturarum Patrumque teſtimonia, quibus aſſeritur, Chriſtum non neceſſario, ſed voluntarie crucis ſubiiſſe ſupplicium. *Oblatus eſt*, inquit Iſaias 53. v. 7., *quia ipſe voluit*. Et Auguſtinus in lib. 4. de Trin. c. 13. *Qui poſſet non mori, ſi nollet, proculdubio quia voluit, mortuus eſt*. Hi enim, aliique ejuſcemodi textus non male exponi videntur per remotam tantummodo libertatem in Chriſto, qui per ſpeciale privilegium habuit, ut per gloriam ad comprehendendum, & per gratiam ad me-

rendum & libere operandum eveheretur. Legendus est etiam hac de re Ven. Scotus in 3. d. 18. q. 1.

CAPUT VIII.

In quo Nestoriana hæresis impugnatur.

CUm hactenus de Christi corpore, & anima, ac de proprietatibus utriusque substantiæ pro instituti methodo clare breviterque dixerimus, nunc de unione humanæ naturæ cum divina supereſt differendum; proindeque Nestorii prius, deinde Eutychetis hæresim refellemus.

Nestorius itaque ex Monacho primum Antiochensis Ecclesiæ Sacerdos, tum vertente anno 427. renunciatus est CP. Episcopus, statimque cœpit præconceptæ hæreseos venena diffundere. Asseruit enim, Deum hominemque non hypostatica, sed morali tantum unione conjungi, proindeque duas in Christo personas existere. Contenditque, Virginem non Deum peperisse, sed hominem; hinc illam non *Theotocon*, sive *Deiparam*, sed *Christotocon*, sive *Christiparam* censuit appellandam.

Sprevit Nestorius Cælestini R. P. auctoritatem, qui anno 430. Romæ Synodum habuit, in qua contra Nestorium excommunicationis, ac depositionis sententiam tulit: quo etiam anno S. Cyrillus, Pontificia instructus auctoritate, ex universa Ægypti Diœcesi Concilium Ale-

Alexandriæ coegit, ac duodecim anathematiſmos in Neſtorium promulgavit. Demum anno 431. Œcumenica Synodus Epheſina convocata eſt, in qua impius hæreſiarcha damnatus fuit, & e Sede ſua depoſitus, ac in priſtinum Monaſterium relegatus. Inde vero cum multos erroris ſui contagione corrumperet, in Oaſin amandatus eſt anno 436., ubi poſtmodum, verminante ſacrilega lingua, infelicem animam exhalavit. His autem poſitis nunc primo monſtrabimus, quod revera Neſtorius ſubſtantialem unionem humanitatis Chriſti cum Verbo negaverit, ſecus ac Albertinus Calviniſta, aliique nonnulli dixerunt; deinde peſtiferum hunc refellemus errorem.

Propoſitio 1. Neſtorius vere negavit, quod Verbum in unitate perſonæ humanam naturam aſſumpſerit.

Probatur. Neſtorius, uti ex ſcriptis ejus apparet, aſſeruit, quod Chriſtus non ſit ſubſtantialiter Deus, ſed quod per ſolam inhabitationem ita vocetur: ergo perſonas ille diviſit, ſtatuitque moralem tantummodo unionem. Probatur antecedens ex primo Neſtorii anathematiſmo contra S. Cyrillum, ubi dicitur: *Si quis eum, qui eſt Emmanuel, Deum verum eſſe dixerit, & non potius Nobiſcum Deum, hoc eſt inhabitaſſe eam, quæ ſecundum nos eſt, naturam, per id quod unitus eſt noſtræ, quam de Maria Virgine ſuſcepit: Matrem etiam Dei Verbi, & non potius ejus, qui Emmanuel eſt, nuncupaverit, . . . anathema ſit.*

Deinde hæreticus ille in quaternione 27. libri a ſe conſcripti, qui lectus eſt Act. 1. Epheſini Concilii ait, quod Chriſtus Dominus

ea

ea ratione Deus, & Filius, ac Chriſtus, Sanctuſque vocetur, qua Moyſes Deus Pharaonis, & Iſrael Dei Filius, & Saul Chriſtus Domini, & quidam homines in Scriptura Sancti dicuntur. Et quatern. 16. inquit: *Non per ſe & ſecundum ſe Deus eſt, quod in utero formatum eſt: non per ſe, & ſecundum ſe Deus eſt, quod Spiritus Sancti opera effectum eſt: non per ſe, & ſecundum ſe Deus eſt, quod in monumento conditum eſt: ſic enim hominum mortuorumque manifeſti cultores eſſemus.*

Item in Anathematiſmo 5. negat, quod idem ſit Filius Virginis, & Filius Dei; ait enim: *Si quis unam eſſe poſt aſſumptionem hominis naturaliter Dei Filium audet dicere, cum ſit Emmanuel, anathema ſit.* Et Anathem. 7. *Si quis hominem, qui in Virgine creatus eſt, hunc eſſe Unigenitum dixerit, qui ex utero Patris ante Luciferum natus eſt, anathema ſit.* Negavit ergo Neſtorius, quod Deus Verbum humanam ſibi naturam in unitate perſonæ conjunxerit.

Hoc idem denique Cl. Virorum teſtimonio comprobatur, quos inter legendi ſunt Leo M. in epiſt. 97. Vincentius Lirin. in Commonit. 1. c. 17. Caſſianus lib. 1. de Incarn. c. 1. Evagrius lib. 1. H. E. c. 2. Liberatus in Breviario cauſæ Neſtorianæ & Eutychianæ c. 4. Facundus Hermianenſis in lib. 1. &c.

Propoſitio 2. Una tantum eſt in Chriſto Perſona.

Probatur ex Scripturis, quæ Chriſtum nobis velut unicam Perſonam in duabus conſiſtentem naturis non raro proponunt. Joannes enim in Evangelio c. 1. v. 18. de Chriſto ait: *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit.*

vit. Matth. 16. v. 16. ait Petrus: *Tu es Chriſtus Filius Dei vivi*. Et Thomas Joan. 20. v. 28. *Dominus meus & Deus meus*. Tandem Apoſtolus ad Hebr. c. 1. v. 3. *Qui cum ſit ſplendor gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus*. Cum ergo hæc omnia de Chriſto quoad humanam naturam enunciari non poſſint, dicendum eſt, quod de ipſo enuncientur ratione Perſonæ, Verbi videlicet, quod humanam ſibi naturam phyſice ac ſubſtantialiter copulavit.

Deinde Neſtoriana poſitio Myſterium Incarnationis evertit. Nam ſi Chriſtus eo tantum in ſenſu Dei Filius diceretur, quod hic in illo, tanquam in Templo, per gratiam habitaret; cum a mundi principio ita in Sanctis omnibus habitaverit, & adhuc inhabitet, ſequeretur, quod ſæpius ille carnem aſſumpſerit, & adhuc in dies aſſumat. Nota ſunt enim Apoſtoli verba in 2. ad Cor. c. 6. v. 16. *Vos eſtis Templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: quoniam inhabitabo in illis, & ambulabo inter eos*. Præterea cum inhabitare per gratiam non ſoli Filio, ſed toti Trinitati conveniat, juxta quod Chriſtus ait Joan. 14. c. 23. *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus*; conſequens profecto foret, quod non ſolus Filius, ſed tota Trinitas incarnata fuiſſet. Cum denique inhabitare per gratiam, approprietur potius Spiritui Sancto, qui charitas eſt, quam Filio; potius Spiritus S., quam Filius, incarnatus dici deberet.

Accedit inſuper, quod ad Philip. 2. v. 6. & 7. de Chriſto dicatur: *Qui cum in forma Dei eſſet, . . . ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*. Atqui exinanitio illa ſine hypoſtari-

ca

ca unione ſtare non poteſt. Si enim Verbum ſeipſum exinaniſſe ideo diceretur, quod in Chriſto tanquam in templo, per gratiam habitavit; pari etiam ratione Pater, & Spiritus Sanctus, dum in Juſtis inhabitant, ſeipſos exinanirent: quod nimis ſane abſurdum eſt.

Præterea etſi Deus per gratiam ſuam inhabitet in SS. Angelis, non tamen idcirco dicitur ille Angelicam aſſumpſiſſe naturam, ſcribente Apoſtolo ad Hebr. 2.°v. 16. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Ergo aſſumptio humanæ naturæ non moralem tantum gratiæ unionem includit.

Huc denique recolenda ſunt argumenta, quibus in lib. 7. c. 7. & 8. Chriſti divinitatem oſtendimus. Nam ſi duas Chriſtus perſonas haberet, divinam ſcilicet, & humanam; jam illa neceſſario eſſet perſona filii naturalis, hæc autem adoptivi. A recenſendis Patrum teſtimoniis, altiſque rationum momentis abſtinendum eſſe cenſuimus, cum neque cauſæ noſtræ ſecuritas, neque inſtituti brevitas id requirant.

Objicies 1. contra 1. propoſ. Neſtorius unitatem perſonæ in Chriſto fateri non renuit; ait enim in ſerm. 11. *Chriſtus ſecundum quod eſt Chriſtus, indiviſus eſt; & Filius ſecundum quod eſt Filius, indiviſus eſt. Non enim habemus duos Chriſtos, vel duos Filios.* Et in epiſt. 2. ad Cyrillum n. 2. ſcribit: *In eo autem laudo, quod diſtinctionem naturarum, ſecundum divinitatis, & humanitatis rationem, harumque in una perſona conjunctionem prædicas.*

Reſp., Neſtorium doloſe, uti ſolent hæretici, unum Chriſtum, & Filium admiſiſſe; unum nempe non phyſice per hypoſtaſim, & perſonam

nam, ſed moraliter tantum; unum ſcilicet per inhabitationem, per concordiam, per affectum; ita quod impius ille aſſerere noluit, Unigenitum, qui ex utero Patris ante Luciferum genitus fuit, eſſe Filium de Virgine natum. Ita etiam in Chriſto unam perſonam unitate morali, non naturali conſtituit; quia nimirum per unionem eadem evaſiſſet hominis, & Dei dignitas, auctoritas, & poteſtas. Unde apud Cyrillum in lib. 2. *contra Neſtorium* ait ipſe, *nec duos habere nos Chriſtos, nec Filios duos, ſed unum, & eundem eſſe dignitate, non natura.* Hanc etiam Neſtorianam fraudem detexit, proſcripſitque Synodus V. Generalis collat. 8. can. 4. ubi teſtatur, quod *Neſtoriani Deum Verbum Filium & Chriſtum vocantes, & hominem ſeparatim Chriſtum & Filium nominantes, & duas perſonas evidenter dicentes, per ſolam nominationem, & honorem, & dignitatem, & adorationem, unam perſonam, unum Filium, & unum Chriſtum confingunt dicere. Sed non confitentur unitatem Dei Verbi ad carnem animatam anima rationali & intellectuali, ſecundum compoſitionem, ſive ſecundum ſubſiſtentiam factam eſſe, ſicut SS. Patres docuerunt.*

At inſtabis. Talem Neſtorius unionem inter utramque naturam in Chriſto cognovit, ut ex ea, reciproca idiomatum communicatio conſequatur: atqui ejuſcemodi unio non niſi hypoſtatica eſſe poteſt & perſonalis. Probatur major ex ejuſdem Neſtorii epiſt. 2. ad Cyrillum n. 3. *Rectum proinde, Evangelicæque traditioni conſentaneum eſt, ut Chriſti corpus divinitatis templum eſſe confiteamur, illudque nexu uſque adeo*

adeo ſublimi divinoque & admirabili ipſi conjunctum, ut dicamus divinam naturam ea ſibi vindicare, quæ corporis alioqui ſunt propria.

Tum in ſerm. 12. Pauli Samoſatenſis errorem explodit, qui Chriſtum purum hominem eſſe dicebat. *In ſtupore dentium*, ait ille, *remaneat Paulus Samoſatenus, qui nobis Dominicam humanitatem nudam a Deitate delirat.*

Reſp. ad 1. nego majorem, quam minime veram eſſe demonſtrant relata Neſtorii verba, quæ ad fucum faciendum ac doloſe conſcripſit, ut apparet ex iis, quæ immediate ſubnectit: *Verum propter hanc appropriationem Divino Verbo adſcribere nativitatem, paſſionem, mortem, ceteraſque carnis proprietates, id demum, mi frater, mentis eſt aut Ethnicorum more vere erroneis, aut certe inſani Apollinarii & Arii, aliorumque hæreticorum morbo, aut alio etiam graviori laborantis.*

Ad alterum. Etſi Neſtorius Pauli hæreſim reprobaret quantum attinet ad divinarum perſonarum Trinitatem, & ideo fateretur ſecundam Perſonam, ideſt Verbum Deum morali unione humanitati fuiſſe conjunctum, quod Paulus denegabat; uterque tamen hæreticus Dominicam Incarnationem oppugnare contendit. Hinc in publica Conteſtatione propoſita a Clero CP. convictus eſt haſce cum Paulo protuliſſe blaſphemias: *Maria Verbum non peperit. Qui fieri queat, ut Maria ex ſe genuerit antiquiorem ſe? Qui ex Virgine natus eſt, homo eſt.* Ac facta collatione aſſertionum Pauli ac Neſtorii ibidem adjungitur: *En Paulo Samoſateno hæretico, qui alium aſſerit eſſe Verbum, & alium Jeſum Chriſtum, neque unum eſſe ut orthodoxa profitetur Ec-*

Eccleſia, pleniſſime adſtipulatur.

Objicies 2. Neſtorius in epiſt. ad Joannem Antiochenum affirmat ſe Virginem appellare *Chriſtotocon*, medium incedens inter eos, qui nominabant *Theotocon*, ut inſinuarent quod Divinitas a Virgine ſumpſiſſet initium, & qui appellabant *Anthropotocon*, ut oſtenderent quod in Chriſto nuda extitiſſet humanitas; & ideo ait, *Chriſti eam vocavimus Genitricem, ut hæc vox utrumque manifeſte ſignificaret, ideſt, Deum & hominem.*

Scribit præterea in ſerm. 6. ſe probare vocem *Theotocon*, dummodo ſacra Virgo non dicatur Dea, quomodo juxta Apollinarii ſenſum dicenda eſſet, & ſi illa divinitatem peperiſſet, quoniam filius matri conſubſtantialis eſſe debet, ait enim: *Si quis inter vos ſimpliciter voce* Theotocos *gaudet, apud me nulla lis eſt de voce; tantum ne Virginem Deam nominet.* Similia tum alibi tradidit, tum præſertim in ſerm. 12. & in epiſt. ad Cœleſtinum.

Reſp. quod Neſtorius Apollinarii hæreſim eſſe cenſuerit catholicam fidem, quæ docet Deum & hominem unum eſſe Chriſtum unitate perſonæ. Admiſit enim ille cum humana natura creatam hypoſtaſim, quam ex Virgine initium habuiſſe dicebat. Si igitur humanæ divinæque naturæ una ſit ſubſiſtentia, conſequens eſt juxta Neſtorium, divinitatem habuiſſe ſubſiſtendi initium a Virgine, & divinam naturam in naturam creatam fuiſſe converſam, uti Apollinaris aſſeruit. Hujus itaque hæreſim execrando Neſtorius cum duplici natura duplicem in Chriſto ſtatuebat hypoſtaſim, duplicemque perſonam, unam nempe Deum Verbum & Unigenitum Patris, alteram

ram vero hominem filiumque Mariæ. Unde impius ille in ſenſu Catholicorum, qui duas in Chriſto naturas per hypoſtaticam unionem ſubſiſtere profitentur, ipſam Apollinarii hæreſim contineri putavit. Dum ergo profeſſus eſt ille ſe admiſſurum eſſe vocem *Theotocon*, dummodo Maria non diceretur Dea, ſenſuſque Apollinarii & Arii excluderetur, aliud non intendit, quam Mariam non eſſe Deiparam in ſenſu catholico; hoc eſt, prout illa genuiſſe dicitur hominem, qui eadem cum Verbo perſonalitate ſubſiſtit. Recole quæ in probationibus adducta ſunt.

Objicies 3. plurium Virorum auctoritatem, qui rectam Neſtorii fidem fuiſſe teſtantur. Hos inter Joannes Antiochenus in epiſt. ad Neſtorium, ipſum hortatur, ut Virginem Mariam non detrectet appellare Deiparam; *quia*, ait, *multi non infrequenter ex te audierunt, quod ipſam ſolam vocem, non piam quoque ipſius vocis notionem averſeris.*

Theodoretus in epiſt. ad Alexandrum Hieropolitanum valde conqueritur, quod Joannes Antiochenus pacem cum Cyrillo ineens, & Neſtorii abdicationi conſentiens, *indiſcrete atque inique damnavit eum, qui nihil præter doctrinam ſanam novit aliquid & docuit*. Idem quoque de Neſtorio judicium tulit Acacius Beroenſis Epiſcopus in epiſt. ad Cyrillum.

Et ut aliorum plurium teſtimonium omittamus, Socrates lib. 7. H. E. c. 32. hæc de Neſtorio ſcribit: *Meo quidem judicio neque Paulum Samoſatenum, neque Photinum imitatur, neque Dominum hominem ſolum eſſe dicit, ſed vocem dumtaxat tanquam larvam reformidat.*

Reſp. adducta teſtimonia præponderare non poſſe

poſſe judicio ducentorum Epiſoporum, qui in Epheſino Concilio ab Epiſcopali Sede Neſtorium deturbarunt, & uti contumacem hæreticum anathemate percuſſerunt. Plures præterea Monachi, & Presbyteri, Laicique, ac præcipue CP. Clerus ſummo Religionis ardore contra Neſtorium conclamarunt. Teſtatur inſuper Epheſina Synodus in Relatione miſſa per Palladium ad Theodoſium Actione VI., quod quidam Epiſcopi *occultato errore a Neſtorio decepti ſint, eique ſe ſe adjunxerint .... qui tamen poſteaquam dilucide quid ſentiret eſſent percontati, illumque ſuas blaſphemias retegentem comperiſſent, ab eo deſciverunt, ac ſanctæ Synodo ſe adjunxerunt, patefactaque ejuſdem blaſphemia condemnationis ſententiam adverſum prædictum Neſtorium... tulerunt*. Hos inter Epiſcopos adnumerandus eſt Joannes Antiochenus, qui pace inita cum Cyrillo omnes Neſtorii tergiverſationes detexit proſcripſitque; necnon Theodoretus, qui in Chalcedonenſi Concilio anathema Neſtorio dixit, eumque in lib. 4. hæreticarum fabularum c. 12. inter hæreticos numeravit. Tandem ſi ambiguus Neſtorii ſermo tales tantoſque Viros decipere potuit, profecto nil mirum, quod Socrates ejus opuſcula percurrendo ipſum imperitum potius, quam impium fuiſſe putaverit.

Objicies 4. contra 2. propoſ. Chriſti humanitas in Scripturis Templi comparatione deſcribitur. *Solvite templum hoc;* inquiebat Chriſtus de corpore ſuo Joan. 2. v. 19. Atqui inter Templum, & Deum qui illud inhabitat, hypoſtatica unio non verſatur. Ergo Deus ſubſtantialiter conjunctus Chriſto non erat.

Reſp. quod Verbum inhabitaverit humanita-

tem, non ſicut hoſpes domum, ſed potius ſicuti anima corpus inhabitat; uti adnotat Auguſtinus tract. 19. in Joan. Nam ſicut anima corpori ſubſtantialiter in unitate naturæ conjungitur, ita Verbum cum humana in Chriſto natura in unitate perſonæ ſubſtantialiter copulatur. Unde ſcribit Apoſtolus ad Coloſſ. 2. v. 9. *Quia in ipſo inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*. Id ex objecto etiam textu non obſcure colligitur, ubi Chriſtus adjungit: *Et in tribus diebus excitabo illud*, corpus nempe meum. Nam ſi Chriſtus non fuiſſet etiam verus Deus, proculdubio falſo ac ſuperbe locutus ita fuiſſet, ſibi reſurrectionem corporis tribuendo, quam divina tantum valet præſtare potentia.

Opponebat quoque Neſtorius quod de Dei Filio legitur ad Philip. 2. v. 7. *Et habitu inventus ut homo*. At cum S. Thoma in 3. p. q. 2. a. 6. ad 1. dicendum eſt, quod *humana natura in Chriſto aſſimilatur habitui, ideſt veſtimento, non quidem quantum ad accidentalem unionem; ſed quantum ad hoc, quod Verbum videtur per humanam naturam, ſicut homo per veſtimentum: & etiam quantum ad hoc, quod ſicut veſtimentum mutatur, quia ſcilicet formatur ſecundum figuram ejus, qui induit ipſum, qui a ſua forma non mutatur propter veſtimentum: & ſimiliter humana natura aſſumpta a Verbo Dei eſt meliorata; ipſum autem Verbum Dei non eſt mutatum, ut Auguſtinus exponit in lib. 83. qq. q. 73.*

Objicies 5. Nonnulli ex Patribus, quos inter Baſilius in ſerm. de Spiritu S. ad Amphilochium, & in expoſitione 59. Pſalmi, Chriſtum *Deifetum hominem* appellarunt, ut adverſus Cyrilli anathematismos adnotat Theodoretus. Nonnulli

nulli etiam cum Auguſtino in lib. 83. qq. q. 6. ipſum *hominem Deificatum Dominicumque* dixerunt. Nonnulli denique cum Ambroſio in lib. 5. de fide c. 5. ajunt, quod *homo ſit aſſumptus a Verbo*. Scribit poſtremo Chryſoſtomus hom. 3. in epiſt. ad Hebræos, Deum, & hominem *duas eſſe perſonas*. Quæ profecto omnia manifeſte Neſtorii cauſæ ſuffragantur.

Reſp. quod Baſilius Chriſtum *Carnem Deiferam* nuncupavit, eo quod humana ejus caro hypoſtatice conjuncta ſit Verbo. Homo etiam *Deifer*, & *Dominicus* a Patribus dictus eſt Chriſtus, tum ut contra hæreticos demonſtrarent, illum perfectam aſſumpſiſſe humanitatem corpore animoque conſtantem, tum ut hypoſtaticam unionem inter humanam divinamque naturam oſtenderent. Hinc dum hominem a Verbo dixerunt aſſumptum, per τὸ *hominem* naturam, non hypoſtaſim deſignarunt.

Chryſoſtomus autem citato in loco confutat Judæos qui Meſſiæ negant adventum, refellitque hæreticos qui divinarum Perſonarum diſtinctionem oppugnant. Et primum quidem duas eſſe perſonas Deum & hominem contra Judæos affirmat, quia præter inviſibilem Deum qui Chriſtum unxit, eſt Deus homo, ipſe ſcilicet Chriſtus qui eſt unctus a Patre; quod S. Doctor ex eo teſtimonio probat: *Propterea unxit te Deus, Deus tuus*; atque ita myſterium Incarnationis exponit. Repetit deinde contra Paulum Samoſatenum alioſque veteres hæreticos, quod duæ perſonæ ſecundum hypoſtaſim ſint diviſæ, ſive diſtinctæ, Pater nimirum & Filius; ut myſterium Trinitatis illuſtret. Duæ ergo illæ perſonæ non ſunt in Chriſto, ſed in SS. Trinitate; proin-

deque nihil pro Nestorio ex Chrysostomi auctoritate deducitur, qui etiam Nestorianum præfocavit errorem in epist. ad Cæsarium Monachum.

Objicies 6. Si una esset in Christo persona, merito dici posset, quod *Unus de Sancta Trinitate est passus:* atqui propositionem istam in Monachis Scythiæ Hormisdas Papa damnavit.

Resp. quod propositio illa vera sit & orthodoxa, quam nunquam Hormisdas damnavit erroris, sed tantum contra Scythiæ Monachos censuit premendam esse silentio, tum quia nova erat, tum quia Eutychiani in pravum sensum eam poterant detorquere. At eversa postmodum Eutychiana vafritie Joannes II. propositionem illam admisit, uti patet ex ejus epistola ad Justinianum Imperatorem, confirmavitque V. Synodus Generalis. Dum vero dicimus, quod unus de Trinitate sit passus, crucifixus, & mortuus; nihil aliud intendimus affirmare, quam quod sit ille passus *in carne;* ne quis existimet, quod secundum divinam naturam passus sit Christus, vel quod purus homo passionum tormenta subierit.

Objicies 7. Persona a Boetio definitur, *Rationalis naturæ individua substantia:* atqui Dei Verbum non in communi specie, sed in determinato individuo humanam naturam assumpsit: assumpsit igitur & personam.

Resp. quod rationalis natura personalitatem habere tunc dicitur, quando est ultimo terminata, suique juris est, & alteri non communicatur; sicuti Socratis natura quam Deus non assumpsit, est sui juris, & dicitur creata persona. At Christi humanitas cum conjuncta sit Verbo,

& ad

& ad jura divinæ perſonæ pertineat; quamvis una ſit, & individua, & ſingularis, propria tamen caret hypoſtaſi; uti per rationalis animæ exemplum facile declaratur.

Inſtabis. Perſonalitas ſpectat ad perfectionem dignitatemque naturæ: ergo Chriſti humanitas nequit creata perſonalitate carere.

Reſp. cum S. Bonaventura in 3. d. 5. a. 2. q. 2., quod *natura aſſumpta in Chriſto eo ipſo eſt nobilior, quod in nobiliori perſona ſtabilitur, quia non in perſona creata, ſed in perſona increata: unde ordinatio ad dignius quamvis auferat rationem ſuppoſitionis, tamen non aufert dignitatis proprietatem. Melius enim eſt ſubeſſe ſuperiori, quam præeſſe alicui inferiori. Sicut perfectior eſt anima cum poſſidetur a Deo, quam cum poſſidet res creatas; & melius nubit Virgo nobilis cum contrahit matrimonium cum Rege cui ſubſit, quam cum contrahit cum ruſtico cui præſit. Unde eſto quod Deus aliquem aſſumeret, qui jam eſt perſona, vel ens actu, ille cum deſineret eſſe perſona, nihil tamen dignitatis amitteret; eſſet enim perſona ſecundum naturam aſſumentem, quamvis non ſecundum naturam aſſumptam.*

Ex dictis facile diluitur argumentum illud: Anima carni conjuncta perſonam efficit: atqui Dei Filius aſſumpſit animam carni conjunctam: ergo aſſumpſit & perſonam. Ut enim citato in loco Seraph. Doctor ait: Major propoſitio vera eſt, *quando anima & caro non conjunguntur digniori; tunc enim non ſolum ex anima & carne conſtituitur ipſa natura, ſed ex ipſa natura hypoſtaſis & perſona. Non ſic autem eſt in propoſito, quia anima & caro fuerunt ſibi invicem unita ipſi Verbo, nec in aliquo inſtanti fuit anima illa,*

quin eſſet unita Verbo: & ipſa hypoſtaſis æterna erat, in qua copulabantur corpus & anima: & ideo non conſtituebant perſonam, ſed ſolum naturam. Et ideo non ſequitur, quod ſi Dei Filius aſſumpſit animam carni unitam, quod aſſumpſit perſonam; quia non prius tempore fuit ipſi carni unita, quum eſſet aſſumpta, quidquid ſit de ordine ſecundum naturam.

Notandum hic quoque eſt cum S. Thoma in p. 3. q. 2. a. 6. ad 2. „ quod illud quod advenit poſt eſſe completum, accidentaliter advenit, niſi trahatur in communionem illius „ eſſe completi. Sicut in reſurrectione corpus „ adveniet animæ præexiſtenti; non tamen accidentaliter, quia ad idem eſſe aſſumetur, ut „ ſcilicet corpus habeat eſſe vitale per animam. „ Non eſt autem ſic de albedine, quia aliud „ eſt eſſe albi, & aliud eſt eſſe hominis, cui „ advenit albedo. Verbum autem ab æterno eſſe completum habuit, ſecundum hypoſtaſim, ſive perſonam: ex tempore autem „ advenit ei natura humana, non quaſi aſſumpta ad unum eſſe, prout eſt naturæ, ſicut „ corpus aſſumitur ad eſſe animæ: ſed ad unum „ eſſe, prout eſt hypoſtaſis, vel perſona. Et „ ideo natura humana non unitur accidentaliter Filio Dei.

Adnotat præterea Doctor Angelicus eodem in loco ad 3. quod ſubſtantia dupliciter dicitur; „ uno modo, pro eſſentia, ſive natura: alio „ modo, pro ſuppoſito, ſive hypoſtaſi. Unde „ ſufficit ad hoc, quod non ſit unio accidentalis, quod ſit facta unio ſecundum hypoſtaſim, licet non ſit facta unio ſecundum naturam.

Tan-

Tandem advertimus, quod uti ex fidei principiis erudimur, quamvis in SS. Trinitate natura, & persona non sint distinctæ realiter; in creaturis tamen realiter distinguuntur: unde ex assumptione humanæ naturæ non sequitur, quod Verbum humanam quoque personam assumpserit.

CAPUT IX.

Quod Maria Virgo recte θεοτόκος, *sive Deipara nuncupetur.*

CUm Valentiniani, Manichæi, aliique ejusdem furfuris Hæretici vel cœleste, vel phantasticum corpus Christo tribuerint, putarunt etiam, quod B. Virgo Dei Mater dicenda non esset, cum nihil substantiæ ex ipsa Christus acceperit. Alii vero licet Virg. Mariam Christi matrem fuisse concesserint, negarunt tamen ipsam dicendam esse θεοτόκον, sive Deiparam: ita Ebion, Photinus, Nestoriusque senserunt, qui Christum purum hominem affirmarunt. Contra hos igitur sit

Propositio. Virgo Maria recte θεοτόκος, sive *Deipara* nominatur.

Et sane id manifeste ex Scripturis ostenditur. Legitur enim Isaiæ 7. v. 14. *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Luc. 1. v. 35. *Quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Roman. c. 1. vv. 2. & 3. *Promiserat per Prophetas suos in*

Scripturis ſanctis de Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundum carnem. Denique Gal. 4. v. 4. *Miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege.* Ex quibus profecto aliiſque compluribus Scripturarum oraculis argumentum iſtud eruitur: Recte Dei Genitrix appellatur, quæ Unigenitum Dei Filium concepit, peperit, genuitque: atqui Maria id præſtitit; & ideo unus idemque dicitur Dei Filius, Filiuſque Mariæ: ergo.

Idem quoque dogma a SS. Patribus paſſim aſſeritur. Ex Græcis enim Ignatius in epiſt. ad Epheſios ait: *Deus noſter Jeſus Chriſtus ex Maria genitus eſt.* Dionyſius Alex. in epiſt. ad Paulum Samoſatenum: *Quomodo ais tu hominem eſſe eximium Chriſtum, & non revera Deum, & ab omni creatura cum Patre & Spiritu Sancto adoratum, incarnatum ex Sancta Virgine, & Deipara Maria?* Athanaſius orat. 3. alias 4. contra Arianos affirmat, ipſum Patris Verbum *propter nos, carne ex Virgine Deipara aſſumpta, hominem factum eſſe.* Poſtremo, ne ſingulos adducamus, Nazianzenus orat. 51. *Si quis Sanctam Mariam Deiparam non credit, extra divinitatem eſt.*

Ex Latinis autem Tertullianus in lib. de carne Chriſti c. 17. ſcribit: *Ante omnia commendanda erit ratio, quæ præfuit, ut Dei Filius de Virgine naſceretur.* Ambroſius in epiſt. 63. *Filium coæternum Patri ſuſcepiſſe carnem, natum de Spiritu Sancto ex Virgine Maria.* Tandem Auguſtinus in lib. de dono perſev. c. ult. *Dicimus Chriſtum Deum verum, natum de Deo Patre ſine ullo initio temporis, eundemque hominem verum, natum de homine matre certa plenitudine temporis.* Ne-

Neque reticenda hic ſunt fidei noſtræ Symbola, Apoſtolicum, Nicænum, & CP., in quibus ipſum conſubſtantialem Patri Filium, conceptum, natum, hominemque factum ex Maria Virgine profitemur. Adde & Synodum Epheſinam, quæ ex profeſſo Catholicum dogma contra Neſtorium definivit, probavitque Cyrilli anathematiſmos, quorum primus ita ſe habet: *Si quis non confitetur Emmanuelem vere Deum eſſe, & ob id Sanctam Virginem Deiparam, (genuit enim illa incarnatum Dei Patris Verbum ſecundum carnem) anathema ſit.*

Theologica inſuper ratione propoſitio confirmatur. Ut enim ait S. Bonaventura in 3. d. 4. a. 3. q. 3. *Quidquid dicitur de illo homine, dicitur de Filio Dei propter communicationem idiomatum: ſed Jeſus fuit Filius B. Mariæ: ergo Deus fuit Filius B. Mariæ: ergo a relativis B. Maria eſt mater Dei.*

Item: Sic ſe habet Filius Dei ad Virginem matrem, ſicut ſe habet filius hominis ad Deum Patrem: ſed Jeſus eſt Filius Dei Patris: ergo Deus eſt Mariæ filius: ergo Maria eſt recte Dei Genitrix appellanda.

Concludendum eſt igitur cum Cyrillo Alex. in l. b. de recta fide ad Reginas n. 9. *Illi qui ſacram Virginem Deiparam eſſe imperite negant, huc neceſſario adiguntur, ut duos Dei filios conſtituant. Nam ſi ſacra Virgo Deum incarnatum ſecundum carnem non peperit, vel inviti concedant oportet, hominem tantum vulgarem, nobiſque nihilo excellentiorem in lucem edidiſſe.*

Objicies 1. Quæ divinitatem non genuit, Dei Genitrix appellari non poteſt: atqui B. Virgo divinitatem non genuit, alioquin Dea merito diceretur. Reſp.

Reſp. nego majorem. Cum enim in Chriſto ſint duæ naturæ, divina videlicet, & humana, ut Virgo Dei Genitrix appelletur, non requiritur, quod divina ſubſtantia abſolutè conſiderata ab ipſa Virgine ſit producta; ſed ſatis eſt, quod Chriſtum illa genuerit, qui ſimul eſt verus homo, veruſque Deus ob ſubſtantialem unionem, quæ inter utramque naturam habetur. Ita ex Cyrillo in epiſt. ad Monachos, mulieres rectè dicuntur hominum matres, quamvis præcipuam hominis partem, rationalem ſcilicet animam, ſua efficientia non producant; neque dici ſolent genitrices corporum, quibus formam dedere, ſed perſonarum, in quibus corpora ſunt animabus unita.

Inſtabis. Filius conſubſtantialis eſt matri: ſi ergo Maria Dei Genitrix eſſet, eſſet etiam Deo conſubſtantialis, & Dea.

Reſp. cum Ferrando Diacono in epiſt. ad Anatolium: *Fruſtra expaveſcit quiſquis æſtimat, conſubſtantialem divinitati matrem futuram, ſi veraciter & proprie Maria mater fuerit Dei: Profectò enim quia veraciter & proprie genuranti ſemper eſt conſubſtantialis ille, qui naſcitur, accepit ab ea Deus, unde ei fieret conſubſtantialis, & ſic ex ea naſci dignatus eſt. Ita igitur proprie, ſicut veraciter Maria divinitatem Filii genuit, ſed incarnatam: ſine carne enim divinitatem ſempiternam generare non poſſet homo mortalis.* Et ideo B. Virgo neque Dea vocatur, quia Deum genuit dumtaxat ſecundum carnem, quæ licet divinitati hypoſtaticè ſit conjuncta, diverſæ tamen eſt ab illa ſubſtantiæ.

Urgebis. Deus Pater non dicitur eſſe hominis genitor, ex eo quod Filius ejus humanam na-

naturam assumpserit : ergo nec e converso Dei Genitrix dicenda est Virgo Maria, ex eo quod ejus Filius divinam habeat naturam.

Resp. cum S. Bonaventura in supra citato loco: *Ad illud, quod opponitur, quod Deus non dicitur genitor hominis : Dicendum quod potest dici, non tamen consuevimus ita uti illo vocabulo ; quia illa appellatio non facit ad expressionem piæ fidei, sicut illa, qua appellamus Virginem matrem Dei.* Et ibidem in resolut. inquit Seraph. Doctor : *Quia B. Virgo illum concepit, qui non tantum dicendus est Christus propter unionem, sed etiam Deus verus propter æternam generationem, Dei Genitrix debet dici, ut ex ipso vocabulo honoretur, & impietatis error extinguatur, qui dixit Mariam concepisse purum hominem.*

Objicies 2. S. Hilarius in lib. 10. de Trin. n. 16. ait: *Non enim corpori* Christi *Maria originem dedit ; licet ad incrementa partumque corporis, omne quod sexus sui est naturale, contulerit.* Quod si corpori Christi originem Maria non dedit, Dei Genitrix appellari non potest.

Resp. quod si quid ex argumento descenderet, sequeretur, Mariam neque *Christiparam* dici posse, quia corpori Christi non dedit originem. Hilarii ergo sententia est, Mariam Christi corpus non humano modo ex viri commercio genuisse, sed Spiritus Sancti virtute, qui carnem Christi ex purissimo sanguine B. Virginis efformavit. *Virgo*, ait S. Doctor ibidem n. 15., *non nisi ex suo Sancto Spiritu genuit quod genuit. Et quamvis tantum ad nativitatem carnis ex se daret, quantum ex se feminæ edendorum corporum susceptis originibus impenderent ;*

non

non tamen Jeſus Chriſtus per humanæ conceptionis coaluit naturam.

Objicies 3. Rejicienda vox illa eſt, quam in Scriptura non legimus, & cujus Synodus Nicæna non meminit, & quam Chalcedonenſe Concilium Symbolo addere noluit, de qua poſtremo Patres Leone Magno priores altiſſime ſiluerunt. Atqui hujuſcemodi eſt vox *Deipara*.

Reſp. quod etſi in Scripturis vox *Deipara* eiſdem literis non legatur, legitur tamen quoad rem ipſam, ubicumque illæ nos docent, Chriſtum Deum eſſe, & unica tantum perſonalitate conſtare. Deinde Eccleſia ut novas refutet hæreſes, nova ſolet adhibere vocabula. Poſtremo neque in Scripturis habentur voces *Chriſtotocos*, Chriſti nempe Genitrix, & *Theodocos*, ideſt *Dei ſuſceptrix*, quibus abutebantur hæretici.

Nicæna vero Synodus ejuſdem vocis idcirco non meminit, quia nihil de ea in controverſiam agebatur. Et tamen dum laudata Synodus illum ipſum qui ex Deo Patre natus eſt, incarnatum & hominem factum ex Virgine definivit, eandem Virginem Deiparam eſſe monſtravit. Hanc etiam vim ſententiæ tenuerunt Patres Epheſini, & Chalcedonenſes, qui ob graſſantem Eutychianam hæreſim Symbolo addere *Deiparam* noluerunt.

Quod tandem ad Patres attinet, reſpondemus cum Cyrillo in Apologetico, hac voce uſos ſuiſſe Petrum Alexandrinum, Athanaſium, alioſque, qui etſi non omnes *Theotocon* expreſſe protulerint, ipſam tamen vocis ſignificantiam tradiderunt. Sed & manifeſta eſt Gregorii Nazianzeni ſententia, quam ſupra retulimus: ex qui-

quibus apparet, jam ante Leonem M. vocem illam in uſu fuiſſe.

Poſtremo ſubjungimus, quod etſi Maria Virgo ſit *Chriſtotocos*, cum Dominum Jeſum Chriſtum vere genuerit; Neſtoriana tamen hæreſi debacchante, reticere vocabulum illud oportuit, ne quis in duas perſonas Deum Verbum, Chriſtumque divideret. *Nunc autem quia ille error extirpatus eſt, communiter eam vocamus & Matrem Chriſti, & Matrem Dei, cum imploramus oculos miſericordiæ ſuæ ad nos converti*; ait laudato in loco S. Bonaventura.

CA-

CAPUT X.

In quo ſtultus Eutychetis error exploditur.

EUtyches CP. Eccleſiæ Presbyter, & ampliſſimi Monaſterii Archimandrita, ſive Præſes, circa Chriſti annum 441. hæreſim ſuam cœpit evomere, qua unam perſonam in Chriſto conſtituens, ſimul etiam affirmavit, naturas duas, humanam videlicet & divinam, ita in Incarnatione fuiſſe permixtas, ut licet antea diverſæ fuerint, poſt adunationem tamen in unam eandemque tranſierint; ita nempe quod divinitas humanitatem abſorpſerit. Hinc Apollinarii hæreſim innovans, nullum Chriſto corpus attribuit, niſi phantaſticum, contenditque quod ipſa divinitas cruci affixa fuiſſet, & in ſepulcro recondita.

Ad Flavianum CP. Epiſcopum, & ad Synodum ab ipſo coactam anno 448. delatus eſt Eutyches; cumque pertinax in errore perſiſteret, damnatus eſt, & Sacerdotio ac Monaſterii præfectura privatus. Poſt varios deinde eventus proſcriptus eſt Eutychetis error in Chalcedonenſi Concilio, quod eſt Œcumenicum IV. celebratum anno 451. ſub Marciano Imperatore, & Leone M. Pontifice.

Propoſitio. Duæ ſunt in Chriſto poſt unionem diſtinctæ naturæ, licet in eadem perſonalitate ſubſiſtant.

Pro-

Probatur. Evangeliſta Joannes c. 1. poſteaquam de Verbo ſcribit, quod in principio erat Deus, quod omnia per ipſum facta ſunt, quod erat lux illuminans omnem hominem, v. 14. ſubjungit: *Et Verbum caro factum eſt*. Ergo uti ait S. Leo in epiſt. ad Flavianum lecta in Act. 2. Synodi Chalcedonenſis, *unus idemque eſt vere Dei Filius, & vere hominis filius, Deus per id, quod in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum: homo per id, quod Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis. Deus per id quod omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil: homo per id, quod factus eſt ex muliere, factus ſub lege*. Duæ ſunt igitur impermixtæ poſt unionem in Chriſto naturæ.

Id etiam evidenter oſtenditur ex Apoſtoli verbis ad Philip. 2. v. 6. *Qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo; ſed ſemetipſum exinanivit formam ſervi accipiens*. Ergo forma Dei, & forma ſervi inconfuſæ manent in Chriſto. Lege quæ ſuper hoc teſtimonio ſcripſimus in lib. 7. c. 7.

Unanimi etiam Patrum doctrina propoſitio confirmatur, uti patet ex Act. 2. Chalcedonenſis Synodi, ex Epiſtola S. Leonis ad Leonem Auguſtum, ex Dialogis Theodoreti, aliiſque hujuſce dogmatis Tractatoribus: nobis hic aliquos tantum laudare ſat erit. Gregorius Nazian. in orat. de Nativ. *Miſſus eſt quidem, ſed ut homo: duplex enim erat in eo natura*. Ambroſius in lib. 2. de fide c. 4. *Idem Deus, idem homo: per divinitatem Deus, per ſuſceptionem carnis homo*. Cyrillus Alex. in lib. de Incarnat. c. 13. *Unum eundemque Jeſum Chriſtum dicimus*

non

non ignorantes differentiam naturarum, ſed eas inconfuſe inter ſe ſervantes. His adſtipulantur & alii ad unum omnes.

Neque theologicæ deficiunt rationes. Ut enim Angel. Doctor ait in qq. diſputatis q. unica *de unione Verbi* a. 1. *Species rerum cum ſint ſicut numeri, in quibus addita, vel ſubtracta variant ſpeciem, ut dicitur in* 8. *Metaph.*, *quæcunque natura eſt in ſe perfecta, impoſſibile eſt, quod recipiat alterius naturæ additionem, vel ſi reciperet, non eſſet eadem natura, ſed alia: divina autem natura eſt perfectiſſima: ſimiliter etiam humana natura habet perfectionem ſuæ ſpeciei: unde impoſſibile eſt quod una alteri adveniat unione naturali. Et ſi eſſet poſſibile, jam id quod ex utroque conſtitueretur, neque eſſet natura divina, neque humana; & ſic Chriſtus eſſet neque homo, neque Deus; quod eſt inconveniens. Relinquitur ergo, quod humana natura non eſt unita Verbo, neque accidentaliter, neque eſſentialiter, ſed ſubſtantialiter; ſecundum quod ſubſtantia ſignificat hypoſtaſim, & hypoſtatice, vel perſonaliter*. Vide eundem S. Doctorem in 3. p. q. 2. a. 1. & in 4. contra Gentiles c. 35.

Deinde contrariæ proprietates uni ſimplicique naturæ non competunt: atqui contrariæ proprietates Dei & hominis vere proprieque Chriſto conveniunt; uti ex alibi dictis evidenter apparet: non igitur una eſt in Chriſto natura, ſed duplex; alioquin dicendum eſſet, quod ipſa in ſe eſſet paſſa Divinitas, uti Theopaſchitæ de Eutychetis grege revera dixerunt.

Poſtremo niſi duæ in Chriſto poſt unionem diſtinctæ naturæ perſiſterent, jam divinæ diſpenſationis ac reparationis humanæ myſterium omni-

mino corrueret. Humana enim natura est, quæ satisfactionis veluti materiam præbuit; est vero divinitas, quæ pretium valoremque tribuit infinitum.

Objicies 1. Quod caro factum est, in carnem versum est, atque mutatum: atqui ex Joan. c. 1. v. 14. *Verbum caro factum est*. Mutatum ergo fuit Verbum conversione suæ divinitatis in carnem. Ita dum uxor Lot facta dicitur statua salis, dum virga Mosis dicitur facta serpens, dum aqua vinum facta est in Canæ nuptiis, dum postremo ex pane Christi corpus efficitur, vera intervenit transmutatio naturarum.

Resp. quod uti in Athanasii Symbolo profitemur, Verbum caro factum est, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum. *Neque enim*, inquit Augustinus in serm. 187. alias 27. de tempore c. 3. *quia dictum est:* Deus erat Verbum, & Verbum caro factum est; *sic Verbum caro factum est, ut esse desineret Deus; quando in ipsa carne, quod Verbum caro factum est, Emmanuel natum est, Nobiscum Deus. Sicut verbum, quod corde gestamus, fit vox, cum id ore proferimus; non tamen illud in hanc commutatur, sed illo integro, ista in quam procedat assumitur; ut & intus maneat quod intelligitur, & foris sonet quod audiatur: Hoc idem tamen profertur in sono, quod ante sonuerat in silentio: atque ita verbum, cum fit vox, non mutatur in vocem, sed manens in mentis luce, & assumpta carnis voce, procedit ad audientem, ut non deserat cogitantem.*

Quare ad adducta exempla patet clara faci-

liſque reſponſio, ſi non ad ſolam vim verbi *fio*, ſed ad rerum etiam naturam quæ fieri dicuntur, velimus attendere. Nam cum humani corporis, aquæ, panis, ac cujuslibet rei creatæ natura ſit mutationi ſubjecta; ubi horum aliquid *fieri* dicitur, ac verba literalem propriumque ſenſum includunt, mutationem naturarum debemus agnoſcere. At ſi res in eam quæ *fieri* dicitur, mutari non poſſit, abſurdum eſt opinari taliter eſſe factam, ut ſit in aliam mutata naturam. Unde Cyrillus in Dialogo de Incarnat. Unigeniti ſcribit: *At ſi Verbum, inquiunt, factum eſt caro, jam non amplius manſit Verbum, ſed potius deſiit eſſe quod erat. Atqui hoc merum delirium, & dementia eſt, nihilque aliud quam mentis erratæ ludibrium: Cenſent enim, ut videtur, per hoc, factum eſt, neceſſaria quadam ratione mutationem alterationemque ſignificari. Ergo cum pſallunt quidam, Et factus eſt mihi Dominus in refugium: Et rurſus, Domine refugium factus eſt nobis, quid reſpondebunt? Anne Deus, qui hic decantatur, deſinens eſſe Deus, mutatus eſt in refugium, & translatus eſt naturaliter in aliud, quod ab initio non erat? Cum itaque Dei mentio fit, ſi ab aliquo dicatur illud, Factus eſt, quo pacto non ſit abſurdum; atque adeo vehementer abſurdum, exiſtimare mutationem aliquam per id ſignificari, & non potius conari id aliqua ratione intelligere, prudenterque ad id, quod Deo maxime convenit, accommodari?*

Notandum eſt etiam, quod poſtquam Evangeliſta dixerat, *Verbum caro factum eſt*, ſtatim adjunxerit, *Et habitavit in nobis*; ut nempe duarum naturarum diſcrimen poſt ſubſtantialem

ea-

earundem unionem oſtenderet. Audi Chryſoſtomum hom. 11. in Joan. *Quid enim ſubjicit? Et habitavit in nobis; tanquam ſic te alloqueretur: Vide, ne quid abſurdi ſuſpiceris ex illa voce. Non enim mutationem illam immutabilis illius naturæ ſignificavi, ſed habitationem, & commorationem. Porro id quod habitat, non eſt idem cum eo, quod habitatur, ſed diverſum: nam alterum habitat in altero, alioquin non eſſet habitatio; nihil enim in ſeipſo habitat.*

Tandem obſerva, quod Eutyches nunquam aſſeruit Verbi divinitatem mutatam fuiſſe in carnem; ſed ipſam carnem ita a divinitate abſorptam fuiſſe putavit, ut tranſiens in hujuſce naturam divina fieret, & quod humanum corporeumque eſt, umbratile factum eſſet atque phantaſticum. Quapropter objectio iſthæc Eutycheti non favet.

Objicies 2. SS. Eccleſiæ Patres, ut duarum in Chriſto naturarum unionem exponant, ſæpe *mixtionis*, ac *mixturæ* nomen uſurpant; uti non tantum patet ex Tertulliano in Apologetico c. 21., verum etiam ex Auguſtino in epiſt. 137. ad Volufianum, ex Maximo Taurinenſi hom. 4. de Nat. Dom., ex Leone Magno ſerm. 3. de Chriſti Nativ. &c. Atqui permixtio confuſionem naturarum importat.

Reſp. quod Patres eo in ſenſu mixtionis nomen adhibeant, quo intima & hypoſtatica utriuſque in Chriſto naturæ unio denotetur, non quo oſtendatur ejuſdem duplicis naturæ confuſio. Ita Tertullianus poſtquam objecto in loco ait: *Naſcitur homo Deo mixtus*; adjungit: *Caro ſpiritu inſtructa nutritur, adoleſcit, affatur, docet, operatur, & Chriſtus*

ſtus eſt. Quare in Chriſto ſimul ſpiritum ſive divinitatem, & carnem admittit. Denique in lib. adverſus Praxeam c. 27, clare ſolideque Eutychianum refellit errorem.

Eodem etiam in ſenſu loquitur Auguſtinus, uti conſtat ex citatæ epiſt. n. 11. *Nam ſicut*, ait S. Doctor, *in unitate perſonæ anima unitur corpori, ut homo ſit, ita in unitate perſonæ Deus unitur homini, ut Chriſtus ſit. In illa ergo perſona mixtura eſt animæ, & corporis: in hac perſona mixtura eſt Dei, & hominis: ſi tamen recedat auditor a conſuetudine corporum, qua ſolent duo liquores ita commiſceri, ut neuter ſervet integritatem ſuam: quanquam & in ipſis corporibus aeri lux incorrupta miſceatur*. Eadem denique aliorum Patrum ſententia eſt, qui ut perſonarum diviſionem contra Neſtorianos excluderent, mixtionis vocabulum uſurparunt. Lege Cyrillum in lib. 1. contra Neſtorium c. 3.

Objicies 3. S. Juſtinus in Apologia 2. comparationem inſtituit inter Incarnationem Verbi, & Euchariſtiæ Sacramentum: ergo quemadmodum panis fit Chriſti corpus per converſionem ſubſtantiæ, ita Verbum per ſubſtantiæ converſionem factum eſt caro.

Reſp. comparationem in eo valere, quod ſicuti Verbum per Incarnationem vere & realiter factum eſt caro; ita panis in Euchariſtia vere proprieque Chriſti corpus evadit. Non tamen Juſtinus affirmat, quod naturarum converſio utrobique eodem modo contingat; ait enim: *Quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jeſus Chriſtus Servator noſter, & carnem, & ſanguinem ſalutis noſtræ cauſa habuit: ita quoque illud, in quo per preces Verbi ab ipſo profe-*

&i

cti gratiæ ſunt actæ, alimentum ipſius Jeſu Chriſti Incarnati carnem, & ſanguinem eſſe edocti ſumus.

Objicies 4. Cyrillus in epiſt. ad Acacium Melitenenſem Epiſopum ait: *Quapropter ea, ex quibus eſt unus & ſolus Filius, ac Dominus Jeſus Chriſtus, cogitationibus complexi, duas quidem naturas unitas eſſe dicimus: verum poſt hanc adunationem, tanquam ſublata jam in duas ſectione, unam eſſe credimus Filii naturam, tanquam unius, verum inhumanati & incarnati.*

Et in Epiſt. 2. ad Succeſſum de Neſtorianis ita ſcribit: *Sed ignorant quæcunque non ſola mentis conſideratione diſtingui ſolent, ea prorſus etiam in diverſitatem diſtinctam, omnifariam ac privatim a ſe mutuo ſegregari.* Ergo juxta Cyrillum unica poſt Incarnationem eſt in Chriſto natura, aut ſi duplex eſt, non reipſa, ſed ſola mentis conſideratione diſtinguitur.

Reſp. quod Cyrillus unam eſſe Filii naturam poſt adunationem affirmat, unitate tamen non ſubſtantiæ, ſed perſonæ; ut nempe Neſtorio repugnaret, qui poſt unionem duas in Chriſto naturas, duaſque perſonas admiſit. Id ſignificat S. Doctor per ea verba, *Inhumanati*, & *Incarnati*. Unde & in 2. ad Succeſſum epiſtola ſcribit: *Si dicentes unam Verbi naturam, tacuiſſemus, ac minime adjunxiſſemus*, Incarnatam, *excluſo propemodum diſpenſationis myſterio, eſſet illorum fortaſſe oratio non inepta, dum interrogare ſe ſimulant: Ubinam eſt in humanitate perfectio, aut quomodo ſubſiſtit illa noſtra eſſentia? Sed quia & illa in humanitate perfectio, & eſſentiæ noſtræ declaratio illata eſt, dum dicimus*, Incarnatam, *deſinant baculo inniti arundineo.*


image
not
available

CAPUT XI.

Ubi de communicatione idiomatum in Chriſto differitur.

QUi hypoſtaticam duarum in Chriſto naturarum unionem admittunt, in eo etiam idiomatum communicationem admittendam eſſe defendunt. Nam juxta communem inter Scholæ Doctores deſcriptionem idiomatum communicatio eſt, Modus, vel forma loquendi, quo ea, quæ unius naturæ in Chriſto ſunt propria, toti concreto attribuuntur propter unitatem perſonæ, quæ in utraque natura ſubſiſtit. Ergo idiomatum communicatio ex hypoſtatica duarum in Chriſto naturarum unione conſequitur; unde Nazianzenus ad Theophilum ita ſcribit: *Propter exactam unitionem aſſumptæ carnis, & aſſumentis divinitatis mutuo transferuntur vocabula, & humanum ex divino, divinum ex humano denominatur.*

Neſtorius autem cum hypoſtaticam unionem in Chriſto negaret, negavit pariter idiomatum communicationem etiam in concreto, & reſpectu perſonæ. Hinc ferre ille non poterat, quod Deus natus, paſſus, ac mortuus diceretur. At Eutyches e contrario cum unam peracta Incarnatione naturam aſſereret, ita idiomatum communicationem admiſit, ut divina, & humana natura, earumque proprietates in abſtracto etiam poſſent mutuo prædicari. Hanc Eu-

tychetis inſaniam Lutherus, Brentius, aliique poſteriores hæretici innovare tentarunt, dicti propterea *Ubiquitarii*, quia immenſitatem, ac quaſdam alias divinæ naturæ proprietates in humanam Chriſti naturam vere transfuſas fuiſſe ſtolidiſſime errantes aſſeruerunt. Sed ad rem propius accedamus.

Propoſitio. Admittenda in Chriſto eſt vera idiomatum communicatio, reſpectu tamen habito ad Perſonam.

Probatur. Scriptura de Deo Verbo ea pronunciat, quæ humanitati conveniunt. Legitur enim Act. 20. v. 28. quod *Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo*. Scribit item Joannes in epiſt. 1. c. 3. v. 16. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit*. Conſtat autem, animam & ſanguinem non niſi humanitati competere. Huc referendum eſt etiam, quod ait Apoſtolus in 1. ad Cor. 11. v. 8. *Si enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent*. Non enim niſi ſecundum humanitatem potuit Dominus gloriæ crucifigi.

Eadem quoque Scriptura Filio hominis ea tribuit, quæ ſolius Dei ſunt propria. Ita Chriſtus de ſeipſo inquit Joan. 3. v. 13. *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt cœlo*. Atqui Chriſtus non niſi ſecundum divinitatem in cœlo erat, dum adhuc verſabatur in terra. Præterea Chriſtus ſibi æternitatem attribuit Joan. 8. v. 58. *Antequam Abraham fieret, ego ſum*. Hiſce autem poſitis ſit argumentum. Vera idiomatum communicatio poſtulat, quod propter perſonæ unitatem in Chriſto, vocabula mutuo transferantur, ut humа-

manum ex divino, & divinum ex humano denominari valeat in concreto : atqui in Chriſto ita contingit, ut ex adductis Scripturæ textibus evidenter apparet.

Patrum etiam traditione idiomatum communicatio comprobatur. Ait enim Auguſtinus in lib. 2. contra Max. c. 20. *Si ergo attendas diſtinctionem ſubſtantiarum, Filius Dei de cælo deſcendit, filius hominis crucifixus eſt : ſi unitatem perſonæ, & filius hominis deſcendit de cælo, & filius Dei eſt crucifixus.* Cyrillus de Incarnat. Unigeniti c. 26. *Cum enim idem ſit homo ſimul, & Deus, propter unitatem propria ſua ducit humana.* Poſtremo Vigilius in lib. 4. contra Eutychetem: *Conſonat & divinitatem humanitatis, & humanitatem divinitatis habere vocabulum, ideſt, Verbum dici carnem, & carnem dici Verbum ; non quia in ſe utrumque mutatum ſit, ſed quia utrumque una perſona, ideſt, unus Chriſtus ſit. Et ideo recte credimus & prædicamus cum Apoſtolo Deum crucifixum, & mortuum in humana natura, quæ ex uniti Verbi conſortio deitatis poſſidet nomen.*

Sed hujuſce præterea rei rationem adducit Angel. Doctor in p. 3. q. 16. a. 1. De quolibet enim alicujus naturæ ſuppoſito poteſt vere & proprie prædicari nomen naturam illam in concreto ſignificans; ſic homo de Socrate, & Platone vere & proprie prædicatur: atqui Perſona Filii Dei, pro qua ſupponit hoc nomen *Deus*, eſt ſuppoſitum humanæ naturæ : ergo vere & proprie hoc nomen *homo* prædicari poteſt de hoc nomine *Deus*, ſecundum quod pro Filii Dei perſona ſupponit : ergo vere proprieque dici poteſt : *Deus eſt homo.*

Ad-

Addit inſuper S. Doctor ibi a. 2., quod hoc nomen *homo* ſupponere poteſt pro qualibet hypoſtaſi humanæ naturæ: ergo poteſt ſupponere pro perſonâ Filii Dei, quæ eſt hypoſtaſis humanæ naturæ: atqui de perſona Filii Dei vere & proprie prædicatur hoc nomen *Deus*: ergo vere & proprie dici etiam poteſt: *Homo eſt Deus*.

Tandem de una hominis perſona, in qua ſimul corporea ac ſpiritualis ſubſtantia reperitur, aſſeritur, quod rationalis ſit, ſitque mortalis; quorum alterum animæ, alterum vero corporis proprium eſt: ergo de Chriſto ſimiliter, in quo per eandem hypoſtaſim divina & humana natura ſubſiſtunt, enunciari poteſt, quod ſit Deus, omnipotens, immenſus &c., & quod ſit ſimul etiam homo, finitus, cruci ſuffixus &c.; quorum attributorum priora divinitati, poſteriora humanitati conveniunt. Atqui hæc eſt idiomatum communicatio, quam tuemur.

Quod vero idiomatum communicatio in concreto tantum, ſive relate ad perſonam admittenda ſit, non autem in abſtracto, & relate ad naturam, inde probatur, quod humana & divina natura cum ſuis attributis ac proprietatibus impermixtæ maneant & diſtinctæ in una eademque perſona: ergo quæ unius naturæ ſunt propria, non poſſunt de alia prædicari, ſecundum quod in abſtracto ſignificant. Unde Damaſcenus in lib. 3. de fide orthodoxa c. 4. ait: *Divinitatem porro cum dicimus, de ea quæ ſunt humanitatis propria neutiquam affirmamus. Non enim dicimus divinitatem patibilem, aut creatam. Sed nec de carne, hoc eſt humanitate, prædica-*

eamus divinitatis proprietates: non enim dicimus carnem, ſeu humanitatem increatam.

Ex dictis eruitur, quod humanitati in abſtracto conſideratæ non communicetur immenſitas ex vi hypoſtaticæ unionis, uti *Ubiquiſtæ* contendunt. Et ſane Scripturæ nos edocent, quod Chriſtus ita ſit corpore circumſcriptus, ut corporali præſentia determinatum locum occupet, & dum in uno moratur, ſit disjunctus ab altero. Hinc Joan. 11. v. 14. Chriſtus ait: *Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi: ſed eamus ad eum.* Item Joan. 6. v. 24. legitur: *Cum ergo vidiſſet turba, quia Jeſus non erat ibi.* Denique Matth. c. ultimo v. 6. *Non eſt hic, ſurrexit enim.*

Idem quoque dogma Patrum traditione firmatur. Ambroſius in 2. de fide c. 4. ait: *Neque enim Deus de loco ad locum tranſit, quia ubique eſt: ut homo eſt qui vadit, ipſe qui venit. In eo ergo vadit, & venit, quod eſt commune nobiſcum.* Auguſtinus in epiſt. ad Dardanum n. 10. *Secundum hanc formam non eſt putandus ubique diffuſus. Cavendum enim eſt, ne ita divinitatem adſtruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non eſt enim conſequens, ut quod in Deo eſt, ita ſit ubique ut Deus.* His adde Leonem M. ſerm. 3. de Aſcenſione, Fulgentium lib. 2. ad Trafimundum c. 17., Damaſcenum lib. 3. de fide c. 3. &c.

Deinde ſi Chriſti humanitati immenſitas & omnipotentia convenirent, ut Lutherani nunc paſſim affirmant, conveniret & ipſi æternitas, independentia, eademque divinitas: atqui id denegant Lutherani: denegare ergo debent & illud. Probatur major ex eo, quod divina attri-

tributa tum inter ſe, tum etiam cum natura realem ſervant identitatem: ergo cum ſolus Deus ſit æternus, immenſus, omnipotens, independens, ſi humanitas immenſa eſt & omnipotens, æterna quoque erit, & independens, eritque divinitas ipſa: & propterea conſimili ratione divinitas nata erit in tempore, affixa cruci, ſepulcro recondita, quoniam hæc evenerunt naturæ omnipotenti & immenſæ, ideoque divinæ.

At dices 1. Ex Matth. c. 22. v. 44. Chriſtus *ſedet ad dexteram Dei*: atqui Dei dextera ubique eſt: ergo & ejuſdem humanitas eſt ubique. Quod & innuere Chriſtus ipſe videtur, dum Matth. 18. v. 20. ait: *Ubi ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum.* Et ibidem c. 28. v. 20. *Ecce ego vobiſcum ſum uſque ad conſummationem ſæculi.* Omnipotentiam quoque Chriſto fuiſſe collatam apparet ex verbis, quæ hoc in capite v. 18. leguntur: *Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra.*

Reſp. ad 1. quod ibi Chriſtus ſedere ad dexteram Dei idcirco dicatur, ut pateat, ipſum, etiam ut hominem, exaltatum fuiſſe ſupra omnes Poteſtates, & Principatus; & proxima Deo auctoritate, gloria, beatitudine gaudere: quod quidem ei tum propter perſonæ dignitatem, tum propter meritorum præſtantiam debebatur. Lege S. Auguſtinum contra ſerm. Arianorum c. 34.

Ad alterum Chriſtus nobiſcum eſſe dicitur, non quia ſit ubique diffuſus, ſed quia Eccleſiam ſuam continua protectione cuſtodit, quia omne gratiarum genus nobis affatim ſubminiſtrat, quia denique ſub Euchariſtici panis velamento nos paſcit.

Ad ultimum. Poteſtas quæ Chriſto ut homi-

mini tradita dicitur, non eſt *potentia faciendi*, ut ait S. Bonaventura in 3. d. 14. dub. 4., ſive non eſt omnipotentia, quam Scriptura Deo tanquam proprium characterem ejus attribuit; ſed eſt *potentia præſidendi; omnibus enim, quæ ſub Deo ſunt, præeſt etiam Chriſtus ſecundum humanam naturam, quæ eſt ſuper Angelos exaltata*. Per hanc denique poteſtatem Chriſtus ſuam regit Eccleſiam, quamvis ubique non maneat.

Intelligi præterea poteſt textus de omnipotentia ac poteſtate divina, quæ tamen data eſt Chriſto, non in humanitate, ſed in ipſa Verbi perſona, cui humana natura hypoſtatice conjuncta eſt; unde idiomatum communicatio in concreto procedit. Et ideo non ait Chriſtus: *Data eſt* humanitati meæ, ſed *mihi omnis poteſtas*.

Dices 2. Verbum, & Chriſti humanitas intime & inſeparabiliter uniuntur: ergo ubicunque exiſtit Verbum, Chriſti etiam exiſtit humanitas: alioquin conſequens eſſet, quod Verbum alicubi humanitatem abjiceret, adeoque alicubi dici homo non poſſet.

Reſp. Verbum, & Chriſti humanitatem inſeparabiliter quidem inter ſe intimeque conjungi; unio tamen illa non eſt totalis, & adæquata, ſed ejuſcemodi eſt, quæ poſſit inter infinitam, finitamque ſubſtantiam inveniri. Ita ſane nos Deo conjungimur; in ipſo enim vivimus, movemur, & ſumus; non tamen locum omnem implemus, in quo Deus exiſtit. Sed & anima, uti communior fert opinio, intime copulatur oculo; non tamen ubicunque anima eſt, oculus etiam invenitur. Ergo quia

Ver-

Verbum per hypoſtaticam unionem, non per localem coexiſtentiam humanitatem aſſumpſit; homo ſemper & ubique dicitur, etſi non ubique exiſtat humanitas.

Hic Theologi ut diſtinctius de idiomatum communicatione loquantur, quaſdam ſolent propoſitiones exponere, quæ de Chriſto vel affirmandæ ſunt, vel negandæ. Quærimus ergo primum, an Chriſtus dici poſſit homo dominicus? Reſpondemus cum S. Bonaventura in 3. d. 7. dub. 3., quod *dicitur homo dominicus, qui poſſidetur a domino, vel qui eſt ſimilis domino. Et quia ſecundum utramque comparationem, diviſionem dicit, & diſparationem ejus de quo dicitur, ad dominum, reſpectu cujus dicitur: cum Chriſtus ſit dominus, non eſt concedendum eſſe Chriſtum hominem dominicum; eſt enim ipſe verè dominus. Et ideo hoc retractat Auguſtinus* in lib. 1. Retract. c. 19. *oſtendens quod poteſt malum generare intellectum. Poſſet tamen ſane intelligi ratione humanæ naturæ, quæ a domino poſſidetur, & domino aſſimilatur, & a domino cauſſatur.* Ex quibus apparet etiam quid dicendum ſit de hac propoſitione: *Chriſtus eſt homo deificatus, deifer &c.* Videndus eſt etiam S. Thomas in p. 3. q. 16. a. 3.

II. Inquirimus, an iſthæc propoſitio vera ſit: Chriſtus eſt creatura? Agit hac de re Seraph. Doctor in 3. d. 11. a. 2. q. 1. ubi ait, quod hujuſcemodi ſermo *errori appropinquat, & quia male aliquando intellectus eſt ab hæreticis Arianis, & etiam quia de ſe male eſt intelligibilis. Arius namque dixit, Filium Dei eſſe creaturam; & quoniam Chriſtus nominat perſonam Filii Dei, qui dicit Chriſtum eſſe creaturam, non determinans*

nans ſecundum quam naturam intelligat; videtur idem dicere, quod Arius impie ſenſit. Eſt etiam male intelligibilis de ſe propter repugnantiam intellectuum. Creatura enim quantum eſt de ratione ſui nominis, dicit reſpectum ad Creatorem; dicit etiam aliquid, quod habet eſſe poſt non eſſe; dicit etiam quod habet eſſe aliunde per voluntatem procedens: ergo in tali locutione intellectus prædicati repugnare videtur intellectui ipſius ſubjecti (Chriſti videlicet) *ſecundum triplicem diſſonantiam.*

Quod ſi determinatio apponatur, dicaturque: *Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt creatura;* admitti propoſitio poteſt ut vera; quemadmodum idem Seraph. Doctor advertit. Notat etiam S. Thomas citato in loco a. 10. quod licet hoc nomen *homo* denotare queat tum ſuppoſitum, tum naturam; *in reduplicatione tamen magis proprie tenetur pro natura, quam pro ſuppoſito: reſumitur enim in vi prædicati, quod tenetur formaliter. Idem enim eſt dictu:* Chriſtus, ſecundum quod homo; *ac ſi diceretur:* Chriſtus, ſecundum quod eſt homo. *Et ideo hæc eſt magis concedenda, quam neganda:* Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt creatura. *Si tamen adderetur aliquid, per quod traheretur ad ſuppoſitum, eſſet propoſitio magis neganda, quam concedenda; puta ſi diceretur:* Chriſtus, ſecundum quod hic homo, eſt creatura.

III. Quæritur, num recte quis diceret: *Chriſtus, ſecundum quod homo, eſt Deus?* Obſervat hac ſuper re S. Thomas citato in loco a. 11. quod *iſte terminus* homo *in reduplicatione poſitus poteſt dupliciter accipi. Uno modo quantum ad naturam; & ſic non eſt verum, quod Chriſtus,*

stus, secundum quod homo, sit Deus; quia humana natura est distincta a divina, secundum differentiam naturæ. Alio modo potest accipi ratione suppositi: & sic cum suppositum naturæ humanæ in Christo sit persona Filii Dei, cui per se convenit esse Deum; verum est, quod Christus, secundum quod homo, sit Deus. Quia tamen terminus in reduplicatione positus magis proprie tenetur pro natura, quam pro supposito, ut supra dictum est: ideo magis est ista neganda: Christus secundum quod homo, est Deus, *quamsit affirmanda.* Idem tradit Seraph. Doctor in 3.d.10.a.1.q.1.

IV. Quæres, num vera sit hæc propositio: *Christus, secundum quod homo, est persona?* Respondet S. Bonaventura in a. mox citato q. 2., *quod absque dubio si hæc dictio* secundum *accipiatur prout importat rationem formæ, vel causæ, neganda est simpliciter, pro eo quod personalitas Christo secundum humanam naturam convenire non potest. Ipsa enim conjuncta est rei digniori: & ideo non potest habere rationem personæ, quæ attenditur secundum excellentiam dignitatis in eo de quo dicitur; nec tantum conjuncta est rei digniori quacumque conjunctione, sed conjunctione, sive unione personali: & ideo necesse est esse in Christo respectu duarum naturarum unam personam. Sed illa non potest attendi penes naturam creatam, & penes naturam assumptam: necesse est ergo ipsam attendi secundum naturam assumentem, & increatam; & propterea hæc admittitur,* Christus, secundum quod Deus, est persona: *hæc respuitur,* Christus, secundum quod homo, est persona. Agit hac de re etiam S. Thomas in laudata quæst. a. 12.

V. Scisciteberis, an de Christo enunciare pos-

poſſimus: *Iſte homo incepit eſſe?* Egregie dubium iſtud S. Bonaventura reſolvit in 3. d. 11. a. 2. q. 2. ubi ait, *quod hoc pronomen* iſte *poteſt demonſtrare perſonam Verbi, vel ſingulare hominis. Et ſi demonſtret ſingulare hominis, ſic oportet concedere hanc:* Iſte homo incepit eſſe; *& hanc:* Iſte homo eſt ab æterno; *ſicut conceditur, quod iſte homo eſt mortuus, & immortalis; ſed unum dicitur per communicationem idiomatum, alterum vero per proprietatem naturæ. Si enim cum Chriſtus naſcitur, aliquis homo mutatur de non eſſe in eſſe, neceſſe eſt, quod aliquis homo incipiat eſſe; ſed non eſt verum pro alio homine, quam pro iſto homine: iſte ergo homo incipit eſſe per proprietatem naturæ; ſed tamen ab æterno dicitur eſſe, quia eſt Deus, qui eſt ab æterno. Si ergo* iſte homo *demonſtret ſingulare hominis, abſque dubio vera eſt prædicta locutio. Si autem demonſtret perſonam Verbi, falſa eſt; falſa, inquam, quantum ad proprietatem naturæ, quia perſona Verbi de ſui natura eſt æterna. Quantum etiam ad communicationem idiomatum non admittitur: quia tale idioma non communicatur, propter hoc quod claudit repugnantiam intellectuum.* Illa enim vox *incipere*, anterioris exiſtentiæ negationem includit, quam negationem ſimpliciter attribuere ſuppoſito æterno non licet. Non enim Filius Dei ita humanum eſſe accepit in tempore, ut antea ſimpliciter non eſſet, cum ab æterno, ac ſemper extiterit: unde ipſe de ſe in Evangelio ait Joan. 8. v. 58. *Antequam Abraham fieret, ego ſum.* Quod non minus vere efferre ſic poterat: *Antequam mundus fieret, ego ſum.* Denique cum Ariani propoſitionem illam ad ſui erroris aſſer-

tionem uſurpaverint, eandem nos adhibere nec poſſumus, nec debemus. Reliqua leges apud eundem S. Doctorem, & apud S. Thomam in laudato ſuperius loco a. 9.

VI. Interrogabis, an admittenda ſit propoſitio iſthæc: *Deus factus eſt homo?* Reſpondet hic S. Bonaventura in 3. d. 7. a. 1. q. 2., quod „ prædicta locutio multipliciter eſt diſtinguenda, ex hoc quod hoc participium poteſt „ ponere rem ſuper totum, vel circa alterum „ extremorum abſolute, vel circa unum extremum in comparatione ad alterum. Si „ ponat rem ſuam, ſcilicet ipſam factionem „ ſuper totum, vera eſt locutio; & eſt ſenſus: *Deus factus eſt homo*; id eſt, *Factum eſt, ut Deus eſſet homo*; & hoc quidem factum fuit in opere Incarnationis. Si „ autem ponat rem ſuam circa alterum extremorum abſolute, utpote circa prædicatum, „ tunc eſt ſenſus: *Deus factus eſt homo*; id eſt, *Deus eſt homo, qui quidem factus eſt, ſive productus*; & hoc quidem verum eſt. Si autem ponat rem ſuam circa unum extremum „ in comparatione ad alterum, ſic eſt ſenſus: *Deus factus eſt homo*; id eſt, *Deus fecit ſemetipſum hominem per humanitatis aſſumptionem*; ſicut homo facit ſemetipſum doctum „ per doctrinæ acquiſitionem. Et primus quidem ſenſus eſt verus, & conſuetus ſecundum „ ſenſum communem, non tamen eſt ſecundum „ locutionum virtutem; quia hoc participium, „ quod eſt *factus*, cum ſit maſculini generis, „ adjectivum adjective tantum, non poteſt ponere rem ſuam circa copulatum; ſed neceſſario ponit, quantum eſt de virtute ſermo-

„ nis,

„ nis, circa ſubjectum, vel circa prædicatum. „ Secundus autem ſenſus eſt quidem verus, „ & haberi poteſt per ſermonis virtutem, & „ proprietatem; eſt tamen præter uſum communem. Cum enim dicimus, quod *Deus factus eſt homo*, non volumus dicere, quod „ *Deus ſit homo, qui productus ſit*; ſed volumus exprimere ipſam Incarnationem, ſive unionem divinæ naturæ ad humanam. „ Tertius vero ſenſus habetur & ſecundum „ uſum communem, & ſecundum locutionis „ proprietatem: habet tamen in ſe aliquid „ proprietatis, & aliquid improprietatis. Et „ hoc patet, quia cum dicitur, *Iſte factus „ eſt bonus, vel hujuſmodi*, hoc participium „ *factus* tria importat, videlicet anteceſſionem ex parte ſubjecti, & inceptionem ex „ parte prædicati, & tranſmutationem ex „ parte utriuſque, quantum eſt ex vi ſermonis, pro eo quod factum eſſe implicat fieri: „ in propoſito autem eſt reperire anteceſſionem „ ex parte ſubjecti, & inceptionem ex parte „ prædicati, ſed non eſt reperire tranſmutationem in ſuppoſito Dei; & ideo *factus* hic „ cadit a propria ſignificatione quantum ad „ tertiam conditionem; nec importat tranſmutationem, ſed unionem; nec ſignificat, quod „ Filius Dei ſit ſuppoſitum tranſmutationis, „ cum dicitur, *Deus factus eſt homo*; ſed quod „ eſt ſuppoſitum naturæ factæ, & ſibi unitæ. „ Licet ergo prædictus ſermo quocunque modo accipiatur, aliquam habeat improprietatem; quia tamen veritatem habet, nihilominus recipitur, quia in expreſſione fidei „ noſtræ magis conſideratur ſermonis veritas,

 „ quam

„ quam ſermonis congruitas. Ea enim quæ ſunt „ fidei noſtræ, ut dicit Auguſtinus, melius in„ telligimus, quam proferamus. Unde Grego„ rius dicit, quod excelſa Dei balbutiendo re„ ſonamus.“ Denique ſicuti ait Joannes c. 1. v. 14. *Verbum caro factum eſt*; ita etiam dici poteſt: *Deus factus eſt homo*. Conſule S. Thomam in ſupra citata q. a. 6.

VII. Petes, an hæc alia propoſitio veritatem obtineat: *Homo factus eſt Deus?* Reſpondebimus cum S. Bonaventura in laudato a. q. 3. „ quod prædicta locutio, qua dicitur: *Homo* „ *factus eſt Deus*, diſtingui habet per hunc mo„ dum, quo diſtincta eſt prædicta, *Deus eſt* „ *factus homo*: ex eo quod res hujus partici„ pii *factus* poni poteſt circa totum, vel circa „ prædicatum, vel circa utrumque extremum. „ In primo ſenſu locutio eſt vera, & eſt ſen„ ſus: *Homo factus eſt Deus*; id eſt, *Factum* „ *eſt, ut homo eſſet Deus*: & hoc quidem ve„ rum eſt. Si autem determinat prædicatum, „ ſenſus eſt: *Homo eſt Deus, qui factus eſt*: & „ hoc quidem falſum eſt. Si autem cadat cir„ ca utrumque extremum, & dicat ordinem „ ſubjecti ad prædicatum, tunc eſt ſenſus: *Ho„ mo factus eſt Deus*; id eſt, *qui prius erat* „ *homo, factus eſt Deus poſterius*: & hoc qui„ dem adhuc falſum eſt: quia eſſe hominem „ nunquam anteceſſit in illo ſuppoſito eſſe „ Deum, nec divinum eſſe aliquatenus inchoa„ tur. Et ſic patet, quod ſi iſta locutio aliquo„ modo poſſet concedi in primo ſenſu: in duo„ bus tamen aliis concedi non poteſt, nec de„ bet, *Homo factus eſt Deus*. Unde hæc ma„ gis eſt impropria: *Homo factus eſt Deus*, quam

„ hæc,

„ hæc, *Deus factus est homo*, & rarius inve-
„ nitur scripta: Si tamen alicubi legatur, vel
„ inveniatur; tunc secundum primum sensum
„ est semper accipienda: " Vide etiam S. Thomam in laudata q. a. 7.

Quæres ultimo, an Christus possit revera dici *compositus?* Reponit hic S. Bonaventura in 3. d. 6. a. 1. q. 2. „ quod compositio dupli-
„ citer potest dici. Uno modo proprie dicitur
„ compositio unio aliquorum duorum haben-
„ tium mutuam inclinationem ad constitutionem
„ tertii. Et hoc modo persona Christi non
„ potest dici composita; multa enim sequeren-
„ tur inconvenientia; videlicet, quod persona
„ illa esset mutata, & quod esset imperfecta,
„ & quod esset temporaliter in esse producta,
„ et quod etiam non communicarentur idio-
„ mata. Et ideo hoc modo dicere perso-
„ nam Christi esse compositam, non tantum
„ esset falsum, verum etiam esset hæreti-
„ cum. " Hoc in sensu, ut recte notat Berti in appendice ad c. 5. lib. 27., Ferrandus epist. ad Severum, Hugo Victorinus, & ex Scholasticis Subtilis Scotus negant Christum recte dici compositum, & Athanasius apud Euthymium in Panoplia p. 2. lib. 15. necnon S. Augustinus lib. 2. contra Maximinum c. 10. negant divinitatem hujus personæ, quæ Christus est, posse dici partem.

„ Alio modo, *prosequitur S. Doctor*, dicitur
„ compositio large simul cum alio positio; &
„ sic personalis unio potest dici compositio.
„ Et per hunc modum dixerunt aliqui perso-
„ nam Christi esse compositam: non quod ip-
„ sa sit ex pluribus naturis constituta, sed quod

„ perſona illa ante Incarnationem ſuppoſitum „ erat in una natura ſimplici; poſt Incarnatio„ nem vero perſona ſuppoſitum fuit divinæ na„ turæ, & humanæ; & hoc abſque ulla mu„ tatione facta in ipſa, ſed ſolum ex parte hu„ manæ naturæ.

In hoc poſtremo ſenſu Chriſtum *compoſitum* appellarunt Patres V. Synodi collat. 8. anathem. 4., Cyrillus in lib. de recta fide ad Theodoſium, Auguſtinus c. 35. Enchir., Damaſcenus lib. 3. de fide c. 3., aliique non pauci, quibus adhæret etiam S. Thomas ſcribens in p. 3. q. 2. a. 4. ad 2. quod *illa compoſitio perſonæ ex naturis non dicitur eſſe ratione partium, ſed potius ratione numeri; ſicut omne illud, in quo duæ conveniunt, poteſt dici ex eis compoſitum.*

CAPUT XII.

Num Chriſtus dici poſſit Dei Filius adoptivus ?

CUm circa annum 783. Elipandus Toletanus Antiſtes a Felice Urgelitano Epiſcopo quæſiſſet, quid de Chriſti humanitate ſentiret; reſpondit iſte, Chriſtum, quatenus homo eſt, non naturalem, ſed adoptivum Dei Filium appellandum. Damnata fuit hæc hæreſis anno 792. in Ratisbonenſi Concilio, eodemque anno in Synodo Romana ſub Hadriano I., ac præſertim in Francofordienſi anno 794., quæ quidem Synodus 300. Epiſcoporum habita eſt adſtantibus coram Carolo Magno Hadriani Papæ Legatis.

Diſputant Theologi, num Felix, & Elipandus aſſerendo Chriſtum eſſe Dei Filium adoptivum, hypoſtaticam unionem cum Neſtorio denegarent, & Filium Virginis a Filio Dei, ſive naturalem ab adoptivo diſtinguerent; an vero eandem perſonam appellarent adoptivum filium ratione humanæ naturæ, naturalem autem ratione divinæ. Hoc dumtaxat affirmaſſe Felicem, & Elipandum, ideoque Felicianam hæreſim a Neſtoriana differre, propugnant Vaſquez, Juenin, Gotti, aliique. At Neſtoriano in ſenſu revera locutos Felicem, & Elipandum exiſtimant inter plures alios Petavius, Natalis

Alex., Boucat, & Cl. P. Berti, quibuſcum ſit

Propoſitio 1. Felix & Elipandus Chriſtum adoptivum Dei Filium eſſe Neſtoriano in ſenſu dixerunt.

Probatur auctoritate Scriptorum, qui de Feliciana hæreſi pertractarunt. Paulinus Aquilejenſis Patriarcha in lib. 1. contra Felicem ait: *In duobus vocabulis, proprii ſcilicet & adoptivi, verique & nuncupativi filii, unicum eundemque Dei Filium dividere fronte impudentiſſima non formidat.* Alcuinus etiam in lib. 1. contra eundem Felicem affirmat, quod iſte *diviſerit Chriſtum in duos filios, unum vocans proprium, alterum adoptivum.* Idem denique de hæreſi Feliciana teſtantur Cl. Scriptores alii, quos inter adnumerandi ſunt Agobardus in lib. adverſus Felicem, Paſchaſius Ratbertus lib. 5. in Matth., Jonas Aurelianenſis lib. 1. de cultu imaginum, & Sigebertus in Chronico ad annum 793., quibus adde Baronium ad annum 783. n. 6.

Præterea Patres Francofordienſes in epiſtola Synodica ſcribunt, tam Neſtorium *copulationis* nomine, quam Felicem nomine *adoptionis* negare Chriſtum *unam eſſe perſonam, & Beatam Virginem Deum genuiſſe*; ac propterea aſſerunt, quod Feliciana hæreſis *olim in Neſtorio ab univerſali ſancta Eccleſia refutata eſt, etiam & damnata.*

Idem quoque deducitur ex Confeſſione Felicis, & Elipandi, quæ extat in Francofordienſi Concilio: *Confitemur & credimus Deum Dei filium ante omnia tempora ſine initio ex Patre genitum, coæternum & conſubſtantialem, non ado-*

adoptione, ſed genere. Et infra : *Confitemur & credimus eum factum ex muliere, factum ſub lege, non genere eſſe Filium Dei, ſed adoptione, non natura, ſed gratia*. Felix igitur, & Elipandus Chriſtum in duos filios diviſerunt, negaruntque Dei Filium eſſe factum ex muliere, ſimulque dixerunt filium ex muliere factum non eſſe Filium Dei *genere*, *& natura*. Quo ſane nihil clarius ut probetur, denegaſſe illos hypoſtaticam unionem, & B. Virgini gloriam Deiparæ abſtuliſſe, ac Neſtorianam hæreſim innovaſſe.

At contra dices : Felix, & Elipandus Chriſtum appellarunt Dei filium adoptivum *ſecundum humanitatem*, ſive *ſecundum quod homo eſt*; uti facile conſtat ex Hadriano I. in epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ, ex Synodo Francofordienſi in epiſt. ad eoſdem Epiſcopos, & ex Confeſſione quam Elipandus miſit ad Carolum Magnum. Ergo Felix, & Elipandus non aliud affirmarunt, quam quod nonnulli e Schola Theologi, inter quos Durandus, & Scotus vulgo cenſentur, arbitrantes, quod Chriſtus ut homo dici poſſit filius adoptivus.

Reſp. quod Feliciani per additamentum illud *ſecundum humanitatem* non intellexerint humanam naturam propria perſonalitate carentem, & a Verbo aſſumptam in unitate perſonæ; ſed humanitatem propria hypoſtaſi ſubſiſtentem, & morali tantum unione cum Verbo conjunctam. Qui enim Chriſtum in duos filios diviſerunt, quorum alterum proprium, adoptivum alterum nominarunt; eumque qui ex muliere factus eſt, filium Dei dixerunt non genere, nec natura, ſed adoptione dumtaxat, & gratia; illi procul-

du-

dubio cum Neſtorio ſentiunt, & aſſumptæ humanitati propriam perſonalitatem attribuunt: Ita vero putaſſe Felicianos evidenter apparet ex dictis.

Ergo licet nonnulli Scholaſtici, ac præcipue Nominales, Chriſtum, ut hominem, adoptivum Dei filium appellaverint; quia tamen illum in duas non diviſere perſonas, neque hypoſtaticam unionem inficiati fuerunt, eorundem opinio longe a Felicianorum errore recedit, & ſalva fide poteſt utcumque defendi. Ceterum omnino perperam quidam Theologi Ven. Scoto Nominalium hac ſuper re ſententiam tribuerunt; ut patet ex P. Maſtrio in 3. diſp. 2. q. 4. a. 1. Alia demum argumenta quæ aſſertioni noſtræ obſtare videntur, diluta leges apud Cl. P. Berti in lib. 27. c. 2. propoſ. 1.

Propoſitio 2. Chriſtus dici nequit adoptivus Dei filius, etiamſi ſpectetur in quantum eſt homo.

Probatur. Scriptura Chriſtum, etiam ſecundum humanitatem, appellat Dei Filium unicum, proprium, & naturalem: ergo Chriſtus ne ut homo quidem dici poteſt Dei filius adoptivus. Patet autem antecedens ex Joan. c. 1. v. 18. ubi de Chriſto legitur: *Unigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarravit*. Et ad Rom. 8. v. 32. *Proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Denique in epiſt. 1. Joan. c. 5. v. 20. *Scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus verum Deum, & ſimus in vero Filio ejus. Hic eſt verus Deus, & vita æterna*. In his autem locis ſermonem fieri de Chriſto, prout eſt homo, nulli dubium eſſe poteſt; cum non niſi ſe-

ſecundum humanitatem ille in mundum venerit, mortem ſubierit, ac divina narraverit: ergo Chriſtus etiam ſecundum humanitatem inſpectus, dicendus non eſt filius adoptione vel gratia, ſed genere & natura; quod & alii plures Scripturæ textus evincunt.

Adſunt & Patres. Hilarius in lib. 6. de Trin. n. 45. ait: *Numquid etiam nunc adoptionis in eo erit nuncupatio, in quo proprietatis eſt nomen? Apoſtolus enim volens caritatem erga nos Dei oſtendere, ut magnificentia Dei dilectionis ex comparationis genere noſceretur, non pepercisſe Deum proprio filio ſuo docuit: non utique pro adoptandis adoptato, neque pro creatis creaturæ, ſed pro alienis ſuo, pro connuncupandis proprio.*

Auguſtinus tract. 7. in Joan. n. 4. *Oportebat ergo ut ille baptizaret, qui eſt filius Dei unicus, non adoptatus. Adoptati filii miniſtri ſunt Unici: Unicus habet poteſtatem, adoptati miniſterium.*

Fulgentius in lib. 3. ad Traſimundum c. 3. *Fruſtra Unigenitus dicitur, ſi in ejus generatione non naturalis de Deo generante veritas, ſed creationis ex donante largitas prædicatur: & aliis enim, quotquot receperunt eum, dedit eis poteſtatem filios Dei fieri. Quod ſi etiam unigenitus filius factus dicitur ex gratia, non vere genitus ex natura, proculdubio nomen & veritatem unigeniti perdidit, poſtquam fratres habere jam cæpit; privatur enim hujus veritate nominis, ſi in unigenito non eſt de patre veritas naturalis.*

Confirmatur etiam theſis iſthæc ex theologica ratione. Filiatio proprie non naturæ convenit, ſed perſonæ; & ideo illa dicitur proprie-

tas

tas perſonalis : atqui in Chriſto non eſt perſona alia, quam divina ; quæ eſt Filius per naturam : Chriſtus igitur dici nequit Dei filius adoptivus . Conſequentia patet ; nam filius adoptivus participatione dumtaxat filius appellatur : atqui repugnat proprietatem aliquam alicui ſubjecto participative ſimul & per naturam attribui : cum ergo Chriſtus ſit Dei Filius per naturam , dici non poteſt ejuſdem filius adoptivus ; ſive id abſolute & ſimpliciter affirmetur , ſive hæc aut ſimilis determinatio adjungatur , *in quantum eſt homo* .

Deinde qui adoptatur in filium , non per naturam , ſed tantummodo per affectum adoptanti conjungitur. Ut enim legitur in libro Sacroſyllabo, quem contra Elipandum edidit Paulinus Aquilejenſis ; *Omnis adoptio ex affectione ducit vocabuli ſui originem ... Habet namque ex utraque parte* Utinam *adverbium eleganter inſitum ; ut ſi dicas : Utinam ſis mihi in filium adoptivum ; & e contra : Utinam merear a te in filium adoptari* . Atqui Chriſtus *ut homo* non dilectionis affectu in Dei filium eſt aſſumptus , ſed vi hypoſtaticæ unionis , & generationis æternæ : nullo itaque pacto appellandus eſt filius adoptivus .

Accedit , inſuper , quod humanitas non eſt adoptata in filium in utero Virginis , in quo a primo conceptionis inſtanti Chriſtus homo fuit eadem perſona cum Dei filio naturali ; alioqui deberemus cum Neſtorianis perſonas , filioſque diſpeſcere ; idque multo magis , ſi dicamus Chriſtum hominem adoptatum , poſteaquam prodiit ex utero Virginali . Unde in lib. Sacroſyllabi legitur : *Aut in utero Virginis eum*

eum ſuſpicentur adoptatum, quod dici nefas eſt, quia de beata Virgine inenarrabiliter ſumpſit, non adoptavit carnem : aut certe eum purum hominem ſine Deo natum, quod cogitare impium eſt, neceſſe eſt fateantur ; ac per hoc poſtea quaſi indiguerit adoptione, a Patre in filium ſit adoptatus.

Objicies 1. Qui eſt filius Dei per prædeſtinationem, non eſt Dei filius per naturam, ſed per adoptionem, & gratiam : atqui Chriſtus eſt Dei filius per prædeſtinationem. De ipſo enim ſcribit Apoſtolus ad Rom. 1, v. 4. *Qui prædeſtinatus eſt Filius Dei in virtute*. Ergo Chriſtus, ut homo, eſt Dei filius adoptivus.

Reſp. cum S. Thoma in p. 3. q. 24. a. 1. ad 2., *quod prædeſtinatio attribuatur perſonæ Chriſti, non quidem ſecundum ſe, vel ſecundum quod ſubſiſtit in divina natura, ſed ſecundum quod ſubſiſtit in humana natura. Unde cum dixiſſet Apoſtolus :* Qui factus eſt ei ex ſemine David, ſecundum carnem; *ſubjunxit :* Qui prædeſtinatus eſt filius Dei in virtute. *Ut daret intelligere, quod ſecundum hoc, quod eſt factus ex ſemine David, ſecundum carnem, eſt prædeſtinatus filius Dei in virtute. Quamvis enim ſit naturale illi perſonæ, ſecundum ſe conſideratæ, quod ſit Filius Dei in virtute, non eſt tamen ei naturale, ſecundum humanam naturam, ſecundum quam hoc ſibi convenit per gratiam unionis*. Diſtinguo igitur majorem : ſi habeat perſonam extraneam, & quæ non ſit filia per naturam, concedo; ſin aliter, nego majorem ; ac ſimiliter diſtinguo minorem, per prædeſtinationem ad filiationem naturalem, quam per hypoſtaticam cum Verbo unionem obtinuit, concedo;

ad

ad filiationem adoptivam, & ad unionem ſolummodo moralem, nego minorem. Ergo Chriſtus idcirco dicitur prædeſtinatus eſſe filius Dei, quia ab æterno prædeſtinatum fuit a Deo, non ex prævisis meritis, ſed ex gratia, ut in tempore homo eſſet Deus & Deus homo, ac per conſequens ut Chriſtus ſecundum hypoſtaſim ſuam eſſet Dei filius naturalis. Ceterum Chryſoſtomus aliique Patres Græci prædeſtinandi vocabulo in hoc Apoſtoli textu declarationem & manifeſtationem intelligunt; quatenus nempe Chriſtus qui ex ſemine David factus eſt ſecundum carnem, ac proinde verus homo eſſe probatur; declaratur etiam certiſque argumentis oſtenditur eſſe Dei filius per virtutem miraculorum, & per alia quæ ibi deinceps recenſet Apoſtolus.

Objicies 2. Apoſtolus ad Rom. 8. v. 29. ſcribit: *Nam quos præſcivit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus*: Atqui Chriſtus adoptione dumtaxat & gratia primogenitus dici poteſt, non vero natura, ſecundum quam fratres alios non habet, unde & Unigenitus appellatur. Ergo Chriſtus eſt etiam filius per gratiam adoptivus.

Reſp. quod Chriſtus homo ſit primogenitus in multis fratribus non per adoptionis gratiam, ſed per gratiam unionis, quæ profecto non prohibet, quin idem ipſe ſit Dei filius unigenitus per naturam. Ut enim quis adoptione filius eſſe dicatur, oportet, ut ei ratione originis ſuæ non ſit debita filiatio: id autem vere quidem dicitur de omni pura creatura intellectuali, licet in gratia ſit creata; non tamen dici de Chriſto poteſt, cui ut homini debita fuit fi-

filiatio præſuppoſita unione. Denique de primogeniti ſignificatione lege quæ ſcripſimus in lib. 7. c. 8. argum. 2.

Objicies 3. Irenæus in lib. 3. adverſus hæreſes c. 19. alias 21. ait : *Propter hoc enim Verbum Dei homo : & qui filius Dei eſt, filius hominis factus eſt, commixtus Verbo Dei, ut adoptionem percipiens fiat filius Dei*, Hilarius in lib. 2. de Trinitate §. 27. ita de Chriſto loquitur : *Poteſtatis dignitas non amittitur, dum carnis humilitas adoptatur*. Tandem ut alios omittamus, Ildephonſus, & Julianus Toletanæ Sedis Antiſtites in Miſſa de Cœna Domini ſic legerunt : *Qui per adoptivi hominis paſſionem, dum ſuo non indulſit corpori &c.* Et in Miſſa de Aſcenſione : *Hodie Salvator noſter poſt adoptionem carnis ſedem repetivit Deitatis*.

Reſp. quod aliquando Patres improprio in ſenſu nomen adoptionis uſurpent, prout nempe aſſumptionem humanæ naturæ ſignificat, quæ nullis præcedentibus meritis electa fuit, ut ad naturalem Dei filiationem per unionem hypoſtaticam perveniret : quo etiam in ſenſu nonnulli Scholaſtici Chriſtum, quatenus homo eſt, adoptivum Dei filium appellarunt. At nos de adoptione proprie ſumpta differimus, quæ eſt alienæ perſonæ ad jura proprii filii libera, & gratioſa translatio : quod ſane adoptionis genus in Chriſto neque SS. Patres, neque Scholæ Doctores admittunt.

Sed inſuper adnotamus, quod ea Irenæi verba, *Ut adoptionem percipiens fiat filius Dei*, non ad Chriſtum referenda ſint, ſed ad homines quos ille redemit, & qui adoptivam Dei filiationem acquirunt, dum per Chriſtum juſtificatio-

tionis gratiam aſſequuntur. Irenæus enim eo in loco refellit ajentes Chriſtum purum hominem eſſe & a Joſepho progenitum, de quibus ante objecta verba pronunciat, *non percipere munus adoptionis*. Poſt autem adductum textum adjungit: *Non enim poteramus aliter incorruptelam, & immortalitatem percipere, niſi adunati fuiſſemus incorruptelæ & immortalitati*. Eſt itaque ſenſus, quod Dei Filius factus ſit homo, ut homo per ejus merita juſtificatus, filius Dei per adoptionem evadat.

Hilarius non de Redemptoris perſona, ſed *de carnis humilitate*, ſive de humanitate loquens improprie *adoptandi* verbum uſurpat, denotatque humanam naturam aſſumptam & evectam fuiſſe in eam dignitatem, ut Divinitati per unionem hypoſtaticam jungeretur.

Tandem ad Toletanæ Eccleſiæ Miſſam PP. Francofordienſes in epiſt. Synodica reſponderunt, Gregorium Pontificem Romanæ Sedis, clariſſimum toto orbe Doctorem, in ſuis orationibus Chriſtum ſemper Unigenitum Dei Filium nominare. Ildephonſus autem *tales compoſuit preces in miſſarum ſolemniis, quales univerſalis & ſancta Dei non habet Eccleſia*. Reponi præterea poteſt, quod in Miſſa olim a Toletanis decantata non *adoptio* in filium, ſed *adoptio* tantum humanitatis & carnis, ideſt humanæ naturæ aſſumptio exprimatur.

Objicies 4. Ille dicendus eſt filius adoptivus, qui in ſe formam habet adoptionis; forma enim neceſſario ſuum producit effectum: atqui Chriſtus in ſeipſo formam adoptionis habet, gratiam ſcilicet habitualem. Ergo.

Reſp. negando minorem, ad cujus probationem

nem cum S. Bonaventura in 3. d 10. a. 2. q. 1. reponimus, quod gratia ſanctificans eos faciat filios adoptivos, *qui habent extraneitatem aliquam; & quia hanc non eſt reperire in Chriſto, ideo non tenet ratio illa*. Ergo gratia eſt quidem forma ex ſeipſa conſtituens hominem ſanctum, ac Deo gratum; quod tum in nobis efficit, tum in Chriſto; non tamen eſt forma, per quam abſolute inſpectam adoptivus Dei filius conſtituitur; ſed requirit, ut perſonæ quibus inhæret, ſint Deo extraneæ, neque proprium ac perſonale jus ad hæreditatem obtineant.

At inſtabis. Chriſtus, inquantum homo, eſt Patri extraneus.

Reſp. ex dictis, quod non naturæ filiatio competat, ſed perſonæ. Deinde natura quæ ſubſtantialiter eſt Divino Verbo conjuncta, extranea appellari non poteſt.

Dices. Filiatio naturalis in generatione fundatur, ſive procedit ex ſubſtantia, quam filius per veram generationem a Patre trahit: atqui Chriſtus, ut homo, per veram generationem ex Dei ſubſtantia non procedit: non ergo eſt filius naturalis, ſed adoptivus & exterus.

Reſp. diſtinguo maj. ſi per generationis tramitem habeatur, concedo; ſi per ſubſtantialem & hypoſtaticam cum Verbo unionem emanet, nego maj. Duplici ergo modo quis dici & eſſe poteſt filius naturalis, vel nempe quia ex generantis ſubſtantia oritur, vel quia hypoſtatice cum eo conjungitur qui eandem habet cum generante ſubſtantiam: hujuſce igitur unionis virtute contingit, ut Chriſtus homo unam habeat cum Deo Verbo perſonam, proindeque ſit etiam Dei Filius naturalis; ſicuti ſcilicet B. Virgo ob eandem

dem rationem vera, propria, aç naturalis Dei genitrix appellatur.

Objicies 5. In Chriſto duæ ſunt filiationes, æterna una, altera temporalis; ac utrique debet diverſus terminus reſpondere: atqui per filiationem æternam Chriſtus eſt Dei filius naturalis: ergo per temporalem & adventitiam filiationem eſt Dei filius adoptivus.

Reſp. cum S. Bonaventura in 3. d. 8. a. 2. q. 2. „ quod quamvis concedatur duas nativi„ tates eſſe in Chriſto; non tamen concedi de„ bet, duas eſſe filiationes. Et ratio hujus eſt, „ quia cum filiatio ſit relatio, comparationem „ habet ad tria: ad ſubjectum in quo eſt, & ad „ terminum ad quem eſt, & ad principium a „ quo eſt. Numerus autem relationis ſecundum „ differentiam formalem, ſive ſpecificam cau„ ſatur a principio a quo eſt; ſicut paternitas, „ & dominium ſunt duæ relationes in aliquo „ homine, quæ numerantur non ratione ejus „ in quo ſunt principaliter, ſed ratione ejus a „ quo ſunt; quia poſſunt eſſe duæ relationes in „ homine reſpectu ejuſdem. Plurificatio autem „ relationis ſecundum numerum non venit prin„ cipaliter ratione ejus a quo eſt, nec ratione „ ejus ad quem, ſed ratione ſubjecti ejus in „ quo. Et quoniam proprietas ſubjecti nume„ rari habet ratione ſuppoſiti, & ſubjectum fi„ liationis eſt ipſa perſona, non natura niſi ra„ tione perſonæ: hinc eſt quod cum in Chri„ ſto non ſint plures perſonæ, non poſſunt eſſe „ plures filiationes.“ Seraphico Doctori hac in re Thomiſtæ conſentiunt cum S. Thoma in p. 3. q. 35. a. 5., diſſentiunt vero Scotiſtæ cum Subtili Magiſtro in 3. d. 8. q. unica. At hi tamen

men affirmant, quod duo dicendi non ſint filii, etſi plures ſint filiationes, quia ad multiplicationem concreti accidentalis, ut ajunt, multiplicatio formæ non ſufficit, ſed ipſum quoque ſuppoſitum multiplicetur oportet. Ergo juxta opinionem iſtam Chriſtus dicendus eſt unicus filius, naturalis & proprius, duplicem habens filiationis reſpectum, quorum altero ad Patrem, ad Matrem altero referatur, non adoptione vel gratia, ſed natura.

Poſtremo ſi objeceris: Chriſtus ratione humanitatis recte dicitur crucifixus ac mortuus, & juxta quorumdam ſententiam Dei ſervus etiam appellatur: ergo dici ſimiliter poterit filius adoptivus.

Reſp. quod eſſe ſervum, crucifixum, mortuum, & ejuſcemodi alia, naturam directe reſpiciunt, & perſonæ propter naturam attribuuntur; adoptio autem & filiatio nomina ſunt perſonæ, quæ naturæ convenire non poſſunt: quanquam ſi humanæ naturæ conveniret filiatio ratione perſonæ, naturalis illa eſſe deberet, quia perſona Chriſti non adſcititius, ſed naturalis eſt filius.

CAPUT XIII.

In quo de quibuſdam Chriſti titulis officiiſque tractatur.

IN hujuſce libri poſtremo capite agendum ſupereſt de quibuſdam titulis, officiiſque, quæ Chriſto conveniunt; ac primo quidem de ejus Sacerdotio diſſeremus. Hac in re nulli dubium eſſe poteſt, quod Chriſtus vere proprieque dicendus ſit Pontifex, & Sacerdos, cum id paſſim Scripturæ demonſtrent. Unum autem hic afferre ſufficiat Apoſtoli textum ad Hebr. c. 5. vv. 5. & 6. *Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quemadmodum & in alio loco dicit: Tu es Sacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech.*

Et ſane Chriſtus preces & ſacrificium pro nobis Deo obtulit, & nunc etiam offerre non deſinit: eſt igitur vere proprieque Sacerdos. Unde Auguſtinus in Pſal. 26. ait: *Sacerdos quia pro nobis interpellat. Et quidem ſolus ille Sacerdos talis extitit, ut ipſe eſſet etiam ſacrificium, obtulit Deo non aliud, quam ſeipſum.*

Sacerdotium autem Chriſto non competit, prout eſt Dei Verbum, ſed prout homo eſt, hypoſtatice Verbo conjunctus. Pontifex enim eſt inferior eo, cujus eſt Pontifex; illum enim orare debet, eidemque libamen offerre: at Chriſtus, ut Dei Verbum, conſubſtantialis eſt Patri.

Hinc

Hinc & Apoſtolus ad Hebr. c. 5. v. 1. ſcribit: *Omnis namque Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum.*

Ex hypoſtatica vero unione cum Verbo, Chriſti Pontificatus dignitatem illam obtinuit, per quam oblatum ab ipſo ſacrificium tanti valoris extitit, ut ſatis profecto fuerit ad omnium hominum peccata delenda. Quare bene rectequе Cyrillus in Anathematiſmo 10 contra Neſtorium ita ſcribit: *Si quis ergo Pontificem & Apoſtolum noſtrum alium dixerit eſſe factum, præterquam ipſum Dei Verbum, quando factum eſt caro, & ſecundum nos homo; ſed quaſi alterum præter ipſum ſpecialiter hominem ex muliere... anathema ſit.*

Dicitur præterea Chriſtus Sacerdos ſecundum ordinem Melchiſedech, ideſt ſimili more ac ritu ſacrificans, quo Melchiſedech qui panem & vinum obtulit, atque ita ſacratiſſimum Euchariſtiæ Sacrificium præmonſtravit. Inficiantur id Novatores, ſed prorſus immerito. Non enim legitur Melchiſedechum aliud obtuliſſe, quam panem & vinum; & ſi animalia viva mactavit, id profecto non ſufficit ad conſtituendum peculiarem ſacerdotii ordinem, cum iſtiuſmodi cruenta ſacrificia etiam Abel, etiam Noe, etiam Levitæ omnes obtulerint. Unde Hieronymus in epiſt. 44. ad Marcellam ait: *Recurre ad Geneſim, & Melchiſedech regem Salem hujus principem invenies civitatis: qui jam tum in typo Chriſti panem & vinum obtulit, & myſterium Chriſtianum in Salvatoris ſanguine & corpore dedicavit.* Similiter Auguſtinus in lib. 4. de doct. Chriſt. c. 21. ſcribit: *In Sacerdote Melchiſedech*

Dominicum Sacramentum præfiguratum videmus, ſecundum quod divina Scriptura teſtatur, & dicit; Et Melchiſedech rem Salem protulit panem, & vinum.

Non tantum vero Sacerdos, ſed & Rex dicendus eſt Chriſtus; uti apertiſſimis Scripturarum textibus demonſtratur. Nam in Pſal. 2. v. 6. legitur: *Ego autem conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion &c.* Pſalmo 71. v. 8. *Et dominabitur a mari uſque ad mare.* Zachariæ 9. v. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi juſtus & Salvator.* Tandem Joan. 18. v. 37. dixit Chriſto Pilatus: *Ergo Rex es tu? Reſpondit Jeſus: Tu dicis, quia Rex ſum ego.*

In dubium revocari nequit, quod Chriſtus ſpirituale regnum habuerit multiplici munere inſignitum, per quod Sacramenta inſtituere potuit, & Eccleſiaſticos Magiſtratus eligere, ac leges condere, ad quarum obſervantiam omnes homines obligantur. At temporale regnum Chriſto quidam prorſus abjudicant, quidam vero indirectum dumtaxat dominium in temporalibus rebus Chriſto tribuunt; quatenus nempe dominium illud ad ſupernaturalem finem, ſive ad conſecutionem ſpiritualis regni conducit. Quidam poſtremo propugnant, quod Chriſtus, quantum ad poteſtatem pertinet & ad jus regni, pleniſſima præditus fuerit auctoritate tam ſpiritualis, quam temporalis regni, etiamſi hanc exercere noluerit, ſed ſecularibus principibus demandari permiſerit. De hoc autem argumento fortaſſis alibi pro rei dignitate tractabimus.

Eſt item Chriſtus Caput hominum, & Angelorum; uti Apoſtolus ad Epheſios ait c. 1. vv. 22. & 23. *Ipſum dedit caput ſupra omnem Eccleſiam,*

ſiam, quæ eſt corpus ipſius &c. Id ut facilius intelligas, adnota, quod per analogiam ad naturale caput, juxta communem Theologorum ſententiam, tria in morali capite requiruntur; præeminentia ſcilicet, conjunctio cum membris, & in hæc eadem interior ac ſpiritualis influxus. Præeminet vero Chriſtus omnibus creaturis tum ob plenitudinem gratiæ, tum ob hypoſtaticam unionem. Unde Joannes c. 1. v. 14. ait: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi Unigeniti a Patre, plenum gratiæ, & veritatis.* Et Paulus ad Epheſ. 1. v. 20. ſcribit, quod Pater Chriſtum conſtituerit *ad dexteram ſuam in cœleſtibus, ſupra omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non ſolum in hoc ſæculo, ſed etiam in futuro.*

Deinde cum Angeli ad triumphantem Eccleſiam pertineant, cui Eccleſia militans charitatis vinculo jungitur; & cum Dei Verbum idcirco humanam carnem aſſumpſerit, ut ſuperna Civitas ſuorum Civium numero non fraudetur; manifeſte apparet unio, quod caput inter & membra verſatur. Quare S. Auguſtinus ſerm. 3. in Pſal. 36. exponens illud Apoſtoli ad Cor. epiſt. 1. c. 12. v. 27. *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro*, ait: *Caput noſtrum Chriſtus eſt; corpus capitis illius nos ſumus. Numquid ſoli nos, & non etiam illi qui fuerunt ante nos? Omnes qui ab initio ſæculi fuerunt juſti, caput Chriſtum habent. Illum enim venturum eſſe crediderunt, quem nos veniſſe jam credimus, & in ejus fide & ipſi ſanati ſunt, in cujus & nos: ut eſſet & ipſe totius Caput*

civitatis Jeruſalem, omnibus connumeratis fidelibus ab initio uſque ad finem, adjunctis etiam legionibus & exercitibus Angelorum; ut fiat illa una civitas ſub uno rege, & una quædam provincia ſub uno imperatore, felix in perpetua pace & ſalute, laudans Deum ſine fine.

Ex adductis denique Auguſtini verbis non obſcure colligitur, quod Chriſtus, etiam quoad gratiarum influxum, Caput eſt omnium hominum prædeſtinatorum, necnon fidelium, etſi ſint reprobi, qui fidem gratiamque Chriſti participant: hi vero ſunt corporis Chriſti membra per voluntariam culpam, & ob finalem impœnitentiam ſuo tempore abſcindenda. Ampliori quoque ſenſu eſt Caput viatorum omnium degentium extra corpus Eccleſiæ, in quantum pro eis etiam Eccleſiam ipſam, & gratiarum fontes aperuit, eiſdemque gratiarum dona frequenter impertit, & ad reſipiſcentiam per interius auxilium vocare dignatur.

Relate tamen ad Angelos Chriſtus dicendus eſt Caput, non quia ab ipſo, quatenus homo eſt, aut gratiam, aut finalem perſeverantiam, aut gloriam eſſentialem acceperint; ſed quia accidentalis tantummodo gloriæ incrementum conſecuti fuerint, quæ ex inſtauratis eorundem ruinis, ex conſortio beatorum hominum, & ex glorioſa Chriſti Domini exaltatione promanat. Ita communior tradit Scholaſticorum Doctorum opinio. Si vero de Chriſto loquaris, prout eſt Dei Verbum, & univerſæ Conditor creaturæ, nemo profecto ambigit, quod ipſe ſit Auctor gratiæ omnis & gloriæ non in hominibus tantum, ſed & in Angelis; uti Auguſtinus, Fulgentius, aliique Patres apertiſſime docuerunt.

Ju-

. Judex etiam Christus est constitutus a Patre, quemadmodum passim Scriptura declarat. Ita Joan. c. 5. v. 22. ipse Christus ait: *Neque enim Pater judicat quemquam: sed omne judicium dedit Filio*. Et v. 27. *Potestatem dedit ei etiam judicium facere, quia filius hominis est*. Item Act. c. 10. v. 42. legitur: *Ipse est, qui constitutus est a Deo judex vivorum, & mortuorum*. Ac tandem c. 17. v. 31. *Statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis*. Et sane cum in Judice rectitudo, sapientia, ac potentia requiratur, cumque ejuscemodi dotes in Christo perfectissime inveniantur, non ei deneganda est amplissima Judicis auctoritas, ac summa potestas. Unde Jeremias c. 23. v. 5. de Christo prædixit: *Regnabit Rex, & sapiens erit, & faciet judicium & justitiam in terra*. Lege & Isaiæ c. 11.

Ex laudatis autem Scripturæ textibus demonstratur etiam, judicandi potestatem Jesu Christo competere, prout ille est Deus & homo: quod docuit etiam Augustinus tum alibi, tum in lib. 1. de Trin. c. 13. ubi ait: *Dicimus quia secundum id quod Deus est, judicat, hoc est ex potestate divina, non humana, & tamen ipse homo judicaturus est, sicut Dominus gloriæ crucifixus est . . . . Quapropter filius hominis judicaturus est, nec tamen ex humana potestate, sed ex ea qua Filius Dei est: rursus Filius Dei judicaturus est, nec tamen in ea forma apparens, in qua Deus est æqualis Patri, sed in ea qua filius hominis est*.

Mediator denique Christus est Deum inter, & homines. Is enim dicitur Mediator, qui inter

ter partes diſſidentes ſe medium interponit, ut eas ad concordiam pacemque reducat. At ita ſe geſſit Chriſtus, qui pretio ſanguinis ſui debita noſtra perſolvit, ac pro nobis divinæ juſtitiæ ſatisfecit. Unde ſcribit Apoſtolus in 1. ad Tim. c. 2. v. 5. *Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus, qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.*

Quærunt Theologi, ſecundum quam naturam Chriſtus ſit Mediator. Andreas Oſiander Lutheri diſcipulus divinæ tantum naturæ, Franciſcus Stancarus, Lutheranus & ipſe, naturæ dumtaxat humanæ tribuit Mediatoris officium: tandem Calvinus Chriſtum ſecundum utramque naturam idem munus exercuiſſe putavit. At Catholica ſententia tenet quidem, quod Chriſtus ſit Mediator ut Deus & homo, ita tamen ut redemptionis opera ex humana tantum natura, tanquam a principio, ut inquiunt, *formali*, prodierint; pretium vero, ac dignitatem a Verbi perſona receperint.

Et ſane in redemptionis noſtræ negotio conſiderari non debet humanitas a divinitate ſejuncta; non enim Chriſtus occidi potuit niſi ut homo; neque morti ſuæ potuit tantum conferre pretium, niſi eſſet & Deus. Ipſum quoque Mediatoris nomen oſtendit, debuiſſe Chriſtum commune aliquid habere cum hominibus, & cum Deo; uti docent Patres, ac præſertim Auguſtinus in lib. 12. Confeſſ. c. 42. *Mediator inter Deum & homines oportebat, ut haberet aliquid ſimile Deo, & aliquid ſimile hominibus, ne in utroque hominibus ſimilis longe eſſet a Deo, aut in utroque Deo ſimilis, longe eſſet ab hominibus, atque ita Mediator non eſſet.* Non ergo Chri-

Christus Mediator extitit, prout est homo a Verbi persona disjunctus.

Inspectis igitur operibus, per quæ Christus Mediatoris partes implevit, Mediator dicendus est, in quantum est homo: quod etiam evidenter apparet ex supra citato Apostoli textu in 1. ad Tim. 2. v. 5. *Unus Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*. Scribit insuper Augustinus de pecc. orig. c. 28. *Non autem per hoc Mediator est, per quod æqualis est Patri*. Deinde mors, obedientia, oratio, ac cetera Mediatoris officia non nisi in assumpta natura peragi potuerunt, etsi a persona divina prodierint, valoremque suum acceperint. Lege S. Bonaventuram in 3. d. 19. a. 2. q. 2.

Ex dictis eruitur, quod Christus a Sanctis suis plurimum differat quoad Mediatoris officium. Et primo quidem humana Christi natura Verbo *hypostatice* copulatur; unde Mediator est non morali dumtaxat affectu Deo conjunctus, ut Sancti alii, sed *substantiali* & intima unione. Ille insuper est reconciliatio & propitiatio pro peccatis totius mundi: at alii ministerium reconciliationis exercent, medicinam applicant, & ex Christi meritis intercedunt. Hinc Apostolus postquam in 1. ad Tim. c. 2. v. 5. scribit: *Unus Mediator Dei & hominum homo Christus Jesus*; statim addit v. 6. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*.

DE

DE THEOLOGICIS INSTITUTIS

LIBER XX.

In quo de Chriſti ſatisfactione, & merito diſputatur.

UT momentoſo de Dominica Incarnatione ſermoni finem imponamus, oportet ut hic poſtremo de Chriſti ſatisfactione, & merito differamus; quod non ſine ingenti animi noſtri gaudio, ac devotione præſtabimus. De Redemptionis enim beneficio agimus, quo Chriſtus omnia nobis delicta donavit, *delens quod adverſus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci: & expolians principatus, & poteſtates, traduxit confidenter, palam triumphans illos in ſemetipſo:* uti ſcribit Apoſtolus ad Coloſſ. 2. v. 14. & 15. Sit itaque

CA-

CAPUT I.

Ubi probatur, Chriſtum vere proprieque pro nobis divinæ ſatisfeciſſe juſtitiæ.

SOciniani veterum hæreticorum veſtigiis inhærentes, ſicuti Chriſtum purum putumque hominem aſſerunt, ita pariter arbitrantur ipſum non tantæ dignitatis eſſe perſonam, ut pro peccatis noſtris Deo veram propriamque ſatisfactionem exhibere potuerit; neque hanc exigi volunt a divina juſtitia, quæ benefica tantum condonatione peccata quæque remittit. Hinc in Chriſto Domino non ſalutis noſtræ præſidium collocant, ſed ſolum exemplum; adventum ejus mortemque ad hoc tantum valere putantes, ut ſalutis æternæ viam per Evangelium addiſcamus.

At ex adverſo Catholici omnes firma conſenſione fatentur, Chriſtum idcirco veniſſe mortiſque ſubiiſſe ſupplicium, ut iniquitatum noſtrarum pœnam in ſeipſum transferens, & affigens cruci damnationis noſtræ chirographum, redemptionis pretium pro nobis exſolveret, condignamque ſatisfactionem divinæ juſtitiæ exhiberet.

Propoſitio. Chriſtus pro nobis vere & proprie ſatisfecit.

Probatur. Ille revera pro nobis ſatisfeciſſe dicendus eſt, qui ſoluto ſanguinis ſui pretio nos re-

redemit: atqui id præſtitit Chriſtus Jeſus. Minor hæc facile demonſtratur innumeris Scripturarum oraculis, ac præſertim Matth. c. 20. v. 28. ubi Chriſtus ait: *Filius hominis venit dare animam ſuam redemptionem* (Græce λύτρον) *pro multis*: atqui τὸ λύτρον pretium eſt, quod pro captivi redemptione perſolvitur: non ergo metaphorica eſt Chriſti redemptio ac ſatisfactio, peracta videlicet ſola Chriſti prædicatione & exemplo, uti Sociniani delirant.

Apoſtolus etiam in 1. ad Cor. c. 6. v. 20. ſcribit: *Empti enim eſtis pretio magno*. Hoc in loco Paulus ducta ab emptitiis comparatione demonſtrat, incontaminate nobis corpore animoque eſſe vivendum. Nam ſicuti qui pretio emuntur, non ſui, ſed alieni ſunt juris; ita impenſius Deo nos ſervire debemus, quoniam empti pretio ſanguinis Jeſu Chriſti ad jus Dominicum pertinemus. Hinc recte Chryſoſtomus hom. 18. in hunc locum ait: *In memoriam enim revocat magnitudinem beneficii modum ſalutis oſtendens, quod cum eſſemus alienati, empti ſumus, & non abſolute, ſed pretio.*

Item Petrus in epiſt. 1. c. 1. v. 18. inquit: *Scientes, quod non corruptibilibus auro, vel argento redempti eſtis de vana veſtra converſatione paternæ traditionis; ſed pretioſo ſanguine quaſi agni immaculati Chriſti, & incontaminati.* Hoc in loco aperte ſignatur redemptionis noſtræ pretium, Chriſti ſcilicet ſanguis, argento auroque, quibus redimuntur captivi, longe præſtantius.

Idem quoque dogma luculenter oſtenditur aliis Scripturæ textibus, quibus aſſeritur, Chriſtum loco noſtri ſubrogatum fuiſſe, ut debita noſtra perſolveret, ac peccata noſtra portaret.

Le-

Legitur enim Iſaiæ 53. v. 4. *Vere languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Et v. 5. *Ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra: diſciplina pacis noſtræ ſuper eum, & livore ejus ſanati ſumus.* Denique v. 6 *Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum &c.*

Scribit præterea Paulus ad Rom. 5. v. 10. *Cum inimici eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem Filii ejus.* Et c. 8. v. 32. *Proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Tum ad Gal. 3. v. 13. *Chriſtus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum: quia ſcriptum eſt: Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Item Petrus in epiſt. 1. c. 2. v. 24. ait: *Peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum, ut peccatis mortui, juſtitiæ vivamus: cujus livore ſanati ſumus.* Et ibidem c. 3. v. 18. *Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, juſtus pro injuſtis, ut nos offerret Deo.* His autem poſitis ſit argumentum: Ille pro nobis proprie ſatisfecit, qui pro nobis ſubſtiturus eſt, ut mortem obiret, & obeundo peccata noſtra deleret: atqui Chriſtus pro nobis ſubſtiturus eſt &c. ergo.

Id ipſum non obſcure ex eo colligitur, quod ex Scripturis Chriſtus Sacerdos ſeipſum in ſacrificium pro nobis obtulerit. Qui enim in nova Lege Sacerdos fuit & Victima, quique ſemetipſum Deo Patri in ſacrificium obtulit ad noſtra expianda delicta; is non tantum eſt mortuus, ut doctrinam ſuam firmaret, nobiſque patientiæ præberet exemplum, ſed ut per veram ſatisfactionem Deum nobis propitium redderet & placatum: atqui Chriſtus in nova lege Sacerdos fuit &c. Et

Et profecto, uti ſcribit Apoſtolus ad Hebr. c. 5. v. 1. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in iis, quæ ſunt ad Deum, ut offerat dona, & ſacrificia pro peccatis*. Chriſtus igitur cum ſit Pontifex novæ legis; de ipſo enim legitur Pſal. 109. v. 4. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech*; ſacrificium Deo offerre debuit, obtulitque ſeipſum in cruce moriens, non quidem pro ſuis, ſed pro totius mundi peccatis. *Talis enim*, ait Paulus ad Hebr. 7. v. 26. & 27. *decebat, ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior cœlis factus: Qui non habet neceſſitatem quotidie, quemadmodum Sacerdotes, prius pro ſuis delictis hoſtias offerre, deinde pro populi: hoc enim fecit ſemel, ſeipſum offerendo*. Huc quoque referendum eſt, quod legitur ad Epheſ. 5. v. 2. *Chriſtus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & hoſtiam Deo in odorem ſuavitatis*. Legitur etiam Apoc. c. 5. v. 9. *Occiſus es*, Domine, *& redemiſti nos Deo in ſanguine tuo*. Chriſtus igitur pro nobis vere ac proprie ſatisfecit.

Sed objiciunt 1. Sociniani. Si Scripturæ attente legantur, redimere idem eſt, quam captivum nullo ſoluto pretio liberare. Ita tum alibi, tum Exodi c. 15. v. 13. populus Iſrael dicitur ex Ægypto redemptus, quin tamen ullum ea in redemptione pretium fuerit perſolutum. Ita quoque Moſes Act. 7. v. 35. dicitur Redemptor, & Græce λυτρωτὴς; & tamen nullam proprie ſatisfactionem Deo pro Iſraelitis exhibuit. Ex quo igitur Chriſtus nos a captivitate redemiſſe dicatur, non ſequitur &c.

Reſp.

Reſp. quod ex ipſo Socino in capite 1. libri 2. de Servatore, *redimere aliquem nihil aliud proprie ſignificat, quam captivum e manibus illius, qui illum detinet, dato pretio liberare.* Ejuſcemodi vero redemptio in humani generis reparatione interfuit; cum uti ex dictis appareat, non tantum redempti dicamur, ſed redempti ſanguine Chriſti, majori nempe pretio, quam argentum æſtimetur, & aurum, quibus captivi vere & proprie redimuntur. Perperam ergo Sociniani ex eo, quod redimendi vocabulum alicubi ampliori in ſenſu ſumatur, inferre contendunt, illud etiam improprie intelligendum eſſe, dum de noſtra per Chriſtum reparatione differimus.

Ad 1. ergo reponimus, quod populus Iſrael non dicatur de Ægypto redemptus pretio, ſicuti a Chriſto empti nos dicimur; ſed iiſdem in locis, quæ Socinus objectat, aſſeritur, redemptum a Deo fuiſſe Iſrael *in brachio excelſo, in manu forti, in fortitudine, in miſericordia*; per quod Scriptura demonſtrat, liberationem illam fuiſſe peractam miraculorum potentia, & virtute, ac bonitate divina.

Ad alterum. Moſes idcirco dictus eſt λυτρωτὴς, quia Chriſti imaginem typumque gerebat; ſicut & Cyrus appellatus eſt *Chriſtus*, quod Meſſiam præſignabat libertatemque a captivitate peccati. Sicut ergo Chriſti nomen de Cyro per typum, de Jeſu autem Nazareno in veritate profertur; ita nomen Redemptoris de Moſe improprie, de Domino Jeſu proprie ac rigoroſe profertur: hic enim non tantum internuncii functus eſt munere, ſed & ſeipſum pro nobis tradidit, ſanguiniſque pretium crucifixus effudit.

At inſtant Sociniani. Eo modo fuimus redempti, quo ſuimus & venundati: atqui gratis & abſque pretio venundati ſuimus, cum nos ipſos in ſervitutem diaboli, & peccati tradidimus: ergo ſuimus etiam ſine pretio gratiſque redempti. Unde Iſaiæ 52. v. 3. *hæc dicit Dominus: Gratis venumdati eſtis, & ſine argento redimemini.*

Reſp. nego majorem. Nam ut peccemus, in noſtra quidem reſidet poteſtate, ut vero a peccato reſurgamus, gratiæ beneficio opus habemus, pro qua nobis obtinenda ſanguinis ſui pretium Chriſtus exſolvit. Hinc dum Scripturæ teſtantur, nos gratis reconciliari, redimi, juſtificari, excludunt quidem humana merita, & opera legis; non tamen redemptionem excludunt, ac propitiationem, quæ per pretioſum Chriſti ſanguinem peracta eſt. Lege Paulum ad Rom. c. 3. v. 24. & ſeq. Ceterum literalis ſenſus objecti ex Iſaia teſtimonii eſt, quod ſicut Judæi ſine pretio traditi fuere Chaldæis, quia bello ab eis capti, ita ſine pretio redimendi erant a Cyro, qui remigrantibus in patriam etiam de ſuo donavit; ut patet ex 1. Eſdræ c. 1.

Objiciunt 2. Dum in Scripturis aſſeritur, Chriſtum mortuum fuiſſe *pro nobis*, non Chriſti ſatisfactio, ejuſque pro nobis ſubſtitutio denotatur, ſed tantum occaſio, & cauſa finalis oſtenditur, ob quam Chriſtus eſt mortuus; is enim eſt ſenſus particulæ ὑπὲρ *pro* in aliis paſſim Scripturæ contextibus. Sic in 1. Joan. c. 3. v. 16. jubemur *pro fratribus animas ponere*, & ad Coloſſ. c. 1. v. 24. ait Apoſtolus, gaudere ſe in paſſionibus *pro* fratribus, & adimplere ea, quæ de-

desunt passionum Christi, in carne sua, *pro* corpore ejus, quod est Ecclesia. Quibus profecto in locis personæ substitutionem, veramque satisfactionem designari quis dixerit?

Deinde Scripturæ dum asserunt, Christum *pro* peccatis nostris mortuum esse, sensus non est, quod loco peccatorum nostrorum ille sit mortuus, sed quod propter peccata nostra, eorumque causa mortem obierit; ergo similiter *pro* nobis hoc in sensu mortuus affirmatur, quod nos a peccatis avocaverit, inspirando eorumdem peccatorum odium, & ingentem virtutis amorem. Hinc Paulus ad Gal. 1. v. 4. de Christo ait: *Qui dedit semetipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos de præsenti sæculo nequam.*

Resp. quod etsi particula ὑπὲρ utilitatem dumtaxat aliquam, occasionemque aliquando significet; dum tamen de redemptionis nostræ negotio agitur, substitutionem denotat, & satisfactionem, uti ex circumstantiis & contextu colligitur. Dicitur enim Christus pro nobis mortuus, ut nos ab omni iniquitate redimeret, ut justitiam conferret, ut Deo reconciliaret, ut denique conscientia nostra per ejus sanguinem mundaretur: quæ profecto recte dicta non essent, nisi substitutus pro nobis Christus in pœnæ satisfactione, & compensatione fuisset.

Ad 1. ergo reponimus; quod de fidelibus non legatur, mori debere pro fratribus, ut eos ab æterna morte liberent, ut justificent, & a peccatis absolvant &c. quæ omnia de Christo dicuntur. Dum ergo fideles mortem subeunt, cum vel Dei gloria, vel proximi salus, & Ecclesiæ utilitas id requirit; imitantur quidem Christi mortem pro nobis, non tamen secun-

dum ſatisfactionis meritum, ſed ſecundum charitatis exemplum. Unde S. Auguſtinus tract. 84. in Joan. ait : *Etſi fratres pro fratribus moriantur, tamen in fraternorum peccatorum remiſſionem nullius ſanguis Martyris funditur ; quod fecit ille*, Chriſtus nempe, *pro nobis*. Ita quoque Paulus, aliique fideles pro Eccleſia patiuntur, non ut illam pretio redimant ; ſed ut Chriſti redemptionem ſibi & fratribus applicent, ejuſdemque paſſionis fructum abunde percipiant.

Ad alterum. Aliter pro re, aliter pro perſona quis mori dicendus eſt : & uti ex Scripturæ contextu probatur, particula *pro*, dum de peccatis agitur, cauſam meritoriam, & impulſivam oſtendit, quia peccatorum demerita Chriſtum impulerunt, ut morti ſe traderet ; vel finalem cauſam manifeſtat, quia finis mortis Chriſti eſt expiatio peccatorum. Cum vero expiationem illam non niſi perſoluto pretio Chriſtus effecerit, jam apparet, quod per veram ſubſtitutionem loco noſtri ille ſit paſſus.

Sed urgent. Dum quis captivo ſufficitur, loco illius permanet ipſe captivus. Ergo ſi Chriſtus mortuus eſſet vera ſubſtitutione pro nobis, loco noſtri captivus ipſe manſiſſet.

Reſp. Chriſtum non manſiſſe ſub diaboli poteſtate captivum, quia peccato non erat obnoxius, & ideo in cruce moriens nos redemit, ac hujuſce mundi principem foras ejecit. Uti enim ait Auguſtinus in lib. 13. de Trin. c. 13. *quia eos diabolus merito detinebat, quos peccati reos conditione mortis obſtrinxit, hos per eum merito dimitteret, quem nullius peccati reum immerito pœna mortis affecit.*

Objiciunt 3. Chriſtus in terris agens non fuit ve-

vere proprieque Sacerdos, nec verum propriumque obtulit ſacrificium: non ergo ille per mortem & paſſionem ſuam vere pro nobis ac proprie ſatisfecit. Probant antecedens 1. ex eo quod Apoſtolus ad Hebr. 5. v. 5. ait: *Chriſtus non ſemetipſum clarificavit, ut Pontifex fieret; ſed qui locutus eſt ad eum: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Atqui ex Act. 13. v. 33. & ex epiſt. ad Rom. c. 1. v. 4. verba iſthæc de reſurrectione debent intelligi: ergo ante reſurrectionem Chriſtus Pontifex non fuit.

Deinde in eadem ad Hebræos epiſt. c. 7. v. 26. legitur: *Talis enim decebat ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus a peccatoribus, & excelſior cœlis factus.* Ergo Chriſtus ſacerdotali functus eſt munere non ante quam cœlum aſcendit.

Tandem in ejuſdem epiſt. c. 8. v. 4. ſubjungitur: *Si ergo eſſet ſuper terram, non eſſet Sacerdos.* Dicendum eſt igitur, quod non in hoc mundo Chriſtus ſeipſum obtulit in ſacrificium per veram propriamque ſatisfactionem, ſed in cœlo dumtaxat ſacrificium improprie dictum offerat, *ſemper vivens ad interpellandum pro nobis*, ut legitur Hebr. 7. v. 25.

Reſp. nego antecedens, & ad 1. probationem aſſerimus, citati textus ſenſum eſſe, quod Chriſtus nequaquam ſibi pontificatus honorem arrogaverit, ſed a Patre dignitatem illam acceperit, utpote Filius ejus unigenitus, & naturalis. Hinc textus iſte: *Filius meus es tu*, rationem demonſtrat & cauſam, propter quam Chriſtus conſtitutus eſt Pontifex, non tamen oſtendit tempus, quo ipſe munus illud exercuit. Tunc autem exercuiſſe dicendum eſt, quando

in cruce *per proprium sanguinem, introivit semel in sancta, æterna redemptione inventa:* uti legitur ad Hebr. 9. v. 12. Ceterum testimonium illud ex Psalmo 2. depromptum v. 7. *Filius meus es tu &c.*, non tantum de Christi resurrectione, sed & de ejusdem æterna, ac temporali generatione in Scripturis accipitur: qua de re legendi sunt Interpretes.

Ad 2. Excelsior quidem cœlis factus est Christus, at non tunc sacerdotii munus exercuit; id enim Paulus non affirmat, sed potius ex ejus doctrina infertur oppositum. Nam sicut olim Aaronicus Pontifex post vituli mactationem introibat in Sancta; ita & Christus, jam Pontifex erat, & semetipsum obtulerat, quum Cœlum ascendit. Lege c. 9. v. 24. & sequ.

Ad 3. Testimonii sensus est, quod si Christus super terram esset eo modo, quo erant Levitici Sacerdotes, quorum ministerium terrenum dumtaxat erat, & ad emundationem non spiritus, sed tantum carnis, Sacerdos ille esse non posset; quia nempe simul esse non debent duo ejusdem ordinis sacerdotia, adeoque Christi sacerdotium esset inutile. Unde post objecta verba statim subjungit Apostolus: *Cum essent, qui offerrent secundum legem munera.*

Denique citato in loco affirmat Paulus, Christi sacerdotium sacerdotio Levitico esse præstantius, quia illud æternum est, & adhuc in Cœlo persistat; non quod ibi victimæ mactatio fiat, sed quod Christus victimam in terris mactatam offerat Deo Patri, pro nobis assidue interpellans, ut passionis suæ fructum in nobis jugiter sentiamus.

Objiciunt 4. Nihil frequentius in Scripturis asse-

afferitur, quam quod gratis omnino Deus peccata dimittat: non ergo Chriſtus pro nobis divinæ juſtitiæ ſatisfecit. Antecedens patet ex Matth. c. 18. v. 27. ex Rom. 3. v. 24. ex Epheſ. 4. v. 32. &c. Conſequentia vero probatur, quia gratuita remiſſio, & rigoroſa ſatisfactio invicem opponuntur.

Reſp. gratis quidem a Deo nobis peccata remitti, quia Chriſti gratia per quam peccata delentur, eſt nobis prorſus indebita, neque eam quis ſibi poteſt ſolis naturæ viribus adipiſci. Hinc peccati remiſſio reſpectu hominis meritum non habentis opus eſt divinæ clementiæ. At cum Chriſtus ſponſorem pro peccatis noſtris vademque ſe fecerit, ipſe divinæ juſtitiæ moriens ſatisfecit; adeoque remiſſio delictorum relate ad Chriſtum eſt opus divinæ juſtitiæ. Unde conſequitur, quod gratuita remiſſio relate ad nos non excludat, ſed ſupponat rigoroſam Chriſti ſatisfactionem, qui peccata noſtra portavit.

Quod autem dictum eſt, confirmatur ex Rom. c. 3. v. 24. & 25. ubi Apoſtolus ait: *Juſtificati gratis per gratiam ipſius, per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Jeſu, quem propoſuit Deus propitiationem per fidem in ſanguine ipſius, ad oſtenſionem juſtitiæ ſuæ, propter remiſſionem præcedentium delictorum*. Gratis ergo juſtificamur, non tamen ſine Chriſti redemptione, qui factus eſt propitiator noſter, ſive victima propitians, Deumque nobis placatum efficiens.

At dices. Apoſtolus ad Epheſ. 4. v. 32. ait: *Eſtote invicem benigni, miſericordes, donantes invicem, ſicut & Deus in Chriſto donavit vobis*. Atqui ita nos proximo condonare debe-

mus injurias, ut non repoſcamus ſatisfactionem: ergo & Deus nihil a nobis repetens peccata donavit: quod verum profecto non eſſet, ſi aut nos, aut pro nobis alter quiſpiam perſolviſſet.

Reſp. concedo min. & nego conſequentiam. Ut enim ſcribit Anſelmus in lib. 1. *Cur Deus homo* c. 12. *Ad nullum pertinet vindictam facere, niſi ad illum qui Dominus eſt omnium.* Quod & docet Apoſtolus ad Rom. 12. v. 19. Paritas autem ab eodem Paulo adducta in objecto textu ad Epheſios in eo conſiſtit, quod ſicuti dum Deus nobis delicta donavit, *ſacrificavit filium*; ita & nos cum periculo, ac ſumptu, ſi opus fuerit, fratribus debemus ignoſcere: uti in hunc locum adnotant Chryſoſtomus, & Theophylactus.

Sed urgent. Injuſtum eſt innocentem pro reo plecti, ejuſque loco ſubſtitui: ergo qui aſſerunt, Deum pro nobis Unigenitum tradidiſſe, ipſum injuſtum faciunt & iniquum.

Reſp. juſtitiæ legibus non opponi, quod innocens pro reo plectatur, ſi ille ſponſorem ſe vademque pro reo conſtituat. Ita autem ſe geſſit Chriſtus, qui poteſtatem habens ponendi animam ſuam, oblatus eſt quia ipſe voluit, & *vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra*: ex Iſaia c. 53. v. 5. Videndus hic etiam eſt Doctor Seraph. in 3. d. 20. a. 1. q. 5.

Quod ſi tandem adjunxeris, Deum in Scripturis aſſerere, quod unius peccata alteri nocere non poſſint; uti Deut. 24. v. 16. legitur: *Unuſquiſque pro peccato ſuo morietur*. Et Ezech. 18. v. 4. *Anima quæ peccaverit, ipſa morietur*. &c.

Præ-

Præſto reſponſum erit, objectos Scripturæ textus accipiendos eſſe de lege ordinaria, quando filii ab originali noxa expiati legem cuſtodiunt, quando reſpublica nullum commodum ex illorum punitione capeſſit, quando juſtis ſupplicio affectis improbi pervicaciores evadunt, & quando judicia exercentur ab homine, qui in alterius vitam poteſtate privatur. His autem finibus non continetur altiſſimum Dei conſilium, quo humanum genus reparare decrevit: illud enim executioni mandatum eſt pro impiis ſcelere paterno pollutis, ex Chriſti morte plura ac ingentia commoda prodierunt, eandemque ſupremus Dominus definivit, & Unigenitus voluntate ac poteſtate ſubire non renuit. Poſtremo dum Chriſtus animam ſuam pro ovibus ſuis poſuit, magnum ſibi apud Patrem meritum comparavit, obtinuitque ampliorem gloriam & honorem. Hinc ipſe Salvator Joan. 10. 17. ait: *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum ſumam eam.* Et ad Heb. 2. v. 9. inquit Apoſtolus: *Videmus Jeſum propter paſſionem mortis gloria & honore coronatum.* Ergo ſine ulla injuſtitia Chriſtus mortem oppetiit.

Objiciunt 5. Ille vere ac proprie non ſatisfacit, qui plene ac perfecte debitum non perſolvit: atqui Chriſtus quod homo Deo debebat, plene ac perfecte non ſolvit: non enim ille æternam mortem pœnamque ſuſtinuit, quam divinæ juſtitiæ pro peccatis ſuis ſolvere homo debebat.

Reſp. quod cùm Chriſtus ſit Deus homo, mors ejus & paſſio propter infinitam perſonæ dignitatem æquali, majorique æſtimanda eſt pre-

pretio, quam univerſorum hominum æterna punitio; etiamſi brevi tantum tempore Chriſti pœna duraverit. Verum de hoc argumento fuſius in ſeq. capite differemus.

Inſtabis. Innumeri adhuc homines ſempiterno ſupplicio puniuntur, magnus etiam parvulorum numerus a regno Cœlorum excluditur, corporalis item mors & plura mala dominantur in omnes: atqui ſalva id æquitate evenire non poſſet, ſi Chriſtus plene pro peccatis omnium ſatisfeciſſet.

Reſp. quod Chriſti paſſio, ut ſuum ſortiatur effectum, poſtulat, ut per fidem, per charitatem, & per ſacramenta hominibus applicetur: & hæc ratio eſt, cur adulti irretiti peccatis, & infantes ſine baptiſmate decedentes æterna pœna plectantur. Denique cum S. Auguſtino in lib. 2. de peccat. mer. c. 33. reſpondemus, mortem aliaſque calamitates, quæ *ante remiſſionem ſunt ſupplicia peccatorum, poſt remiſſionem eſſe certamina exercitationeſque juſtorum.*

Objiciunt 6. Chriſtus ipſe factus erat *ſub lege*, uti ſcribit Paulus ad Gal. 4. v. 4. Legi ergo ſubjectus ſatisfactionem pro aliis exhibere non potuit.

Reſp. quod Chriſtus ſponte ſeſe legi ſubjecerit, dum ſervi formam accepit, ut haberet quod poſſet immolare pro nobis. Et ideo citato in loco inquit Apoſtolus: *Miſit Deus Filium ſuum, factum ex muliere, factum ſub lege, ut eos, qui ſub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus.* Aſſumens enim formam ſervi, & factus ſub lege, non amiſit Dei formam, per quam æqualis eſt Patri; ideoque potuit eſſe Redemptor, ac Mediator inter Deum & homines, in-

inter juſtum & injuſtum, inter immortalem & mortales; quia *aſſumpſit aliquid ab inimicis & mortalibus ſervans aliquid cum juſto & immortali*, inquit Auguſtinus ſerm. 361. alias 220. de diverſis num. 16.

Dices ultimo. Chriſti ſatisfactio neceſſaria pro hominum redemptione non fuit. Si enim Deus abſque ſatisfactione illatam ſibi remittat injuriam, nullius juſtitiæ debitor eſt; cum ſit ipſa juſtitia, & alteri non ſubdatur. Gratis ergo defenditur, quod Chriſtus ſuo pro nobis ſanguine ſatisfecit.

Reſp. potuiſſe quidem ſupremum Dominum juri ſuo cedere, & gratis pœnam peccato debitam condonare; id tamen noluit, quia, uti ſcribit Auguſtinus in lib. 13. de Trin. c. 10. *ſanandæ noſtræ miſeriæ convenientior modus alius non fuit, nec oportuit*. In hoc enim liberationis modo relucet ſimul Dei miſericordia, quia miſer homo redimitur; relucet & juſtitia, quia ipſe Unigenitus Dei Filius pro peccati expiatione mortem oppetiit. Deinde dum per Chriſti ſatisfactionem a peccatis eruimur, quanta ſit ſpiritualis animæ dignitas eluceſcit, peccati turpitudo evidentiſſime demonſtratur, ampliores gratiæ Deo redduntur, & peccandi licentia arctius cohibetur. Denique uti ſcribit S. Leo ſerm 2. de Nativ. c. 3. *Verax miſericordia Dei, cum ad reparandum humanum genus ineffabiliter ei multa ſuppeterent, hanc potiſſimum conſulendi viam elegit, qua ad deſtruendum opus diaboli non virtute uteretur potentiæ, ſed ratione juſtitiæ. Nam ſuperbia hoſtis antiqui non immerito ſibi in omnes homines jus tyrannicum vendicabat, nec indebito dominatu premebat, quos a man-*

a mandato Dei ſpontaneos in obſequium ſuæ voluntatis illexerat. Non itaque juſte amitteret deditiii generis ſervitutem, niſi de eo quod ſubegerat vinceretur. Legendum poſtremo monemus S. Bonaventuram in 3. d. 20. a. 1. q. 2.

CAPUT II.

Ubi de perfectione ſatisfactionis Chriſti diſſeritur.

DUplex hoc in capite enodanda quæſtio eſt; prima quidem, an Chriſti ſatisfactio fuerit æquivalens & condigna; altera vero, an illa fuerit ex rigoroſa juſtitia. Scholæ Doctores etſi concorditer aſſerant, Chriſtum de condigno & ad æqualitatem ſatisfeciſſe pro nobis; eorum tamen aliqui putaverunt, Chriſti ſatisfactionem ad ſtrictos juris apices non fuiſſe peractam, ſi ſpectentur conditiones omnes, quæ ad rigoroſam juſtitiam requiruntur.

Conditiones autem illæ ex communiori opinione ad quaternarium numerum facile revocantur; ita nempe ut 1. ſatisfactio ſit æquivalens: neque enim juſtitiam is ſervaret, qui dum decem talenta deberet, novem tantum creditori perſolveret. 2. ſatisfactio poſtulat, ut ſit ad alterum: nemo enim ſi proprie loqui velimus, ſui ipſius creditor eſſe poteſt & debitor. 3. requiritur, ut ſatisfactio ſit ex propriis bonis perſonæ quæ ſatisfacit, eaque bona ſint alias indebi-

bita, ideſt ejuſcemodi ſint, quæ ob alium juſtitiæ titulum creditori minime debeantur. 4. demum exigitur, ut creditor acceptare teneatur ſatisfactionem a debitore ſolutam; alioquin ſatisfactio non ex rigore juſtitiæ, ſed ex liberalitate & gratia creditoris eveniet. Quintam quoque conditionem nonnulli ſubjungunt, quod nimirum ſatisfactio libera ſit; at libertatem ad meriti rationem potius, quam ad rationem ſatisfactionis requiri putamus; & præterea fatentur omnes, quod Chriſtus libera voluntate mortem obierit.

Propoſitio 1. Satisfactio Chriſti non tantum æquivalens fuit, verum etiam ſuperabundans.

Probatur. Legitur in Pſal. 129. v. 7. *Copioſa apud eum redemptio.* Et ad Rom. 5. v. 20. *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.* Denique ad Hebr. 10. v. 14. *Una oblatione conſummavit in ſempiternum ſanctificatos.* Merito itaque ipſe Chriſtus ait Joan. 10. v. 10. *Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Huc poſtremo pertinent Scripturæ textus in ſuperiori cap. adducti, quibus aſſeritur, Chriſtum peccata noſtra portaſſe, magnoque nos pretio redemiſſe &c.

Patrum quoque traditione theſis adſtruitur. Cyrillus Hieroſolym. Catech. 13. ſcribit: *Aſſumpſit Chriſtus peccata in corpore in lignum, ut per mortem ipſius nos peccatis mortui juſtitiæ viveremus. Non parvus erat, qui mortuus eſt pro nobis. Non erat ovis ſenſilis. Non erat ſimplex homo: non erat Angelus tantum; ſed Deus incarnatus. Non tantum erat peccantium peccatum, quanta pro illis morientis juſtitia; non tantum nos peccavimus, quantum ille juſte egit, qui animam pro nobis poſuit. &c.*

Chry-

Chryſoſtomus hom. 10. in epiſt. ad Rom. *Multo plura iis, quæ debebamus, dependit Chriſtus, atque adeo tanto plura, quanto mare immenſum ad puſillam guttam collatum majus eſſe poſſet.*

S. Leo M. in ſem. 12. de Paſſ. Domini c. 3. *Effuſio enim pro injuſtis ſanguinis juſti tam potens fuit ad privilegium, tam dives ad pretium, ut ſi univerſitas captivorum in Redemptorem ſuum crederet, nullum tyrannica vincula retinerent: quoniam, ſicut Apoſtolus ait, ubi abundavit peccatum, ſuperabundavit & gratia. Et cum ſub peccati præjudicio nati poteſtatem acceperint ad juſtitiam renaſcendi, validius donum factum eſt libertatis, quam debitum ſervitutis.* Videndi ſunt etiam Nazianzenus in orat. 42. Auguſtinus tum alibi, tum n lib. 13. de Trin. c. 13. Anſelmus in lib. de concep. Virginali c. 22. Bernardus contra Petrum Abaelardum c. 8. &c.

Denique Clemens V. in Extravag. *Unigenitus* de pœnit. & remiſſ. c. 2. hæc inter alia Tarraconenſi Archiepiſcopo ſcripſit: *In ara crucis*, Chriſtus, *innocens immolatus, non guttam ſanguinis modicam, quæ tamen propter unionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſet, ſed copioſe velut quoddam profluvium noſcitur effudiſſe: ita ut a planta pedis uſque ad verticem capitis nulla ſanitas inveniretur in ipſo.*

Ratione etiam quæ ex dictis ſequitur; propoſitio demonſtratur. Divina Chriſti Perſona ad ſua jura transfert actus utriuſque naturæ; illa enim humanitatem regit, & cum ea pariter operatur, & quodcumque opus ab eadem elicitur, ipſimet perſonæ tribuitur: Nulla igitur fuit Chriſti actio libera, cui infinitus valor, ſummumque pretium non

non ineſſet: Ergo Chriſti ſatisfactio non ſolum omnium hominum iniquitati diluendæ fuit æquivalens, verum etiam pluris æſtimanda & abſolute præponderans, cum nihil Deo Verbo poſſit excogitari præſtantius. Unde S. Bonaventura in 3. d. 13. a. 1. q. 2. ait: *Propter hoc quod ille homo erat Dei Filius, meritum illius penſatur ſecundum dignitatem illius perſonæ, a qua exit opus; & propterea meritum paſſionis ſuæ in infinitum excedit merita paſſionum noſtrarum, & ob hoc quod Deus erat, mors ejus penſata fuit a Deo, quantum erat ille qui moriebatur*. Idem quoque tradit S. Thomas in p. 3. q. 48. a. 2.

Propoſitio 2. Nulla in Chriſti ſatisfactione conditio defuit, quæ ad rigoroſæ juſtitiæ leges exigitur.

Probatur. Et prima quidem æqualitatis conditio adfuit, uti patet ex dictis. Interfuit & ſecunda conditio; nam ut Chriſti ſatisfactio fuiſſe dicatur ad alterum, ſat eſt ut duplex ſit in eo natura, cujus reſpectu ſicuti dicitur Deus & homo, mittens & miſſus, præcipiens & obediens; ita etiam dici poteſt ſatisfaciens & creditor, licet una ſit in ipſo perſona. Ergo divinum Verbum, ut exiſtens in forma ſervi, ſatisfacere potuit toti Trinitati, ac ſibi ipſi, quatenus offenſum eſt & exiſtens in forma Dei.

Chriſtus præterea ex propriis bonis & alias indebitis ſatisfecit. Nam licet ille quidquid habet, a Patre receperit; unde merito dixit Joan. 17. v. 10. *Omnia mea tua ſunt*; in quantum tamen data ſunt Filio coæterno & conſubſtantiali, ita ſunt dona Patris, ut ſimul tranſeant in jus Filii, in cujus manu ſunt *omnia* Joan. 3. v. 35., & qui habet *vitam in ſemetipſo*

Joan,

Joan. 5. v. 26., & liberam *ponendi animam* facultatem Joan. 10. v. 18., atque *poteſtatem omnis carnis* Joan. 17. v. 2. Ergo forma hominis, & anima, & vita, & innumera gratiarum beneficia, quæ inveniuntur in Chriſto, ejus ſunt propria, & ab omni debito prorſus exempta; quoniam Verbi perſona quæ eſt Deus ſummus, ea ſibi omnia in proprietatem aſſumit. Atque hoc pacto, ſi hypoſtatica unio attendatur, pretium pro nobis ſolvit perſona, quæ a quocumque debito erat immunis. Unde Auguſtinus in lib. 13. de Trin. c. 14. ait: *Humana pro nobis paſſus eſt, quia homo erat: ſed ſi noluiſſet, etiam hoc non pati potuiſſet, quia Deus erat.*

Tandem cum Deus Unigenitum ſuum nobis in Fidejuſſorem donare decreverit, & iſte ſeipſum in æquivalentem ac ſuperabundantem ſatisfactionem obtulerit; perſpicuum profecto eſt, quod nequeat ille non acceptare ejuſcemodi pretium a tanto Sponſore ſolutum. Hinc de Chriſto ſcribit Apoſtolus ad Hebr. c. 5. v. 7. *Qui in diebus carnis ſuæ preces ſupplicationeſque ad eum, qui poſſit illum ſalvum facere a morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus eſt pro ſua reverentia.* Hinc quamvis ex gratia Deus hominem liberare ſtatuerit, non tamen ex gratia, ſed & juſtitia Chriſti ſatisfactionem in redemptionis noſtræ pretium acceptavit; uti ſæpiſſime ſupra notavimus.

Objicies 1. contra 1. propoſ. Apoſtolus ad Coloſſ. 1. v. 24, ait: *Adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti, in carne mea, pro corpore ejus quod eſt Eccleſia.* Aliquid ergo deeſt exhibitæ a Chriſto ſatisfactioni; proindeque ſuperabundans illa non fuit, neque fuit æquivalens.

Reſp.

Reſp. Apoſtolum non affirmare, quod aliquid deſit Chriſti paſſionibus in ſeipſis inſpectis, ſed quod aliquid tantum deſit in carne ſua, & in corpore militantis Eccleſiæ; quoniam compati debemus, ut conglorificari cum Chriſto poſſimus. Nam licet Chriſti paſſio ad univerſorum ſalutem ſit abunde ſufficiens, applicanda tamen eſt nobis admittentibus rectoque operantibus, ut ſuum ſortiatur effectum. Lege S. Auguſtinum in Pſal. 86. n. 5., & Chryſoſtomum hom. 4. in eandem ad Coloſſenſes epiſtolam.

Objicies 2, Chriſtus non per divina, ſed per humana opera ſatisfecit: atqui per humana opera ſatisfieri Deo abunde pleneque non poteſt; ſunt enim opera illa finita, & a creata natura gratiaque accidentali procedunt.

Reſp. quod ſatisfactoria Chriſti opera ſint quidem finita phyſice, non vero moraliter; nam etſi finitum ſit efficiens principium a quo opus egreditur, & finita ſit entitas actionis; infinita tamen eſt perſona, quæ per ejuſcemodi principium operatur, & quæ Sacerdos ſimul fuit, & hoſtia. Unde S. Bonaventura in ſupra citato loco ait, *quod infinitas meriti*, in Chriſto, *conſurgit ex unione illius animæ ad perſonam divinam, ob quam unionem non tantum homo, ſed etiam Deus mereri dicitur; propter quod meritum illud eſt infinitum non ratione gratiæ creatæ in ſe, ſed ratione infinitæ dignitatis perſonæ. Unde & hoc vult Anſelmus dicere, cum dicit* in lib. 2. Cur Deus homo c. 6. *quod oportuerit, illum, qui ſatisfacere poſſet, eſſe Deum, & hominem.*

Ergo Chriſti paſſio æſtimanda non eſt ut opus puri hominis, ſed ut opus hominis Dei,

quamvis divinitati nihil acciderit: nempe quemadmodum mors inflicta corpori hominis non eſt æque æſtimanda, ac mors inflicta beſtiæ: nam licet ſpiritualis anima non moriatur; recte tamen dicitur mors rationalis hominis, quia vita illa corporis, quamvis communis ſit beſtiæ, non erat cujuslibet animantis vita, ſed hominis: ita nimirum a dignitate perſonæ, cujus vita eſt, mutuatur ipſa vita pretii rationem.

At dices. Mundus, homo, Angelus, & alia hujuſcemodi Dei opera infinitatem ex ipſo Deo operante non contrahunt: ergo & Chriſti ſatisfactoria opera infinitum valorem contrahere ex Verbi perſona non poſſunt.

Reſp. quod ideo Mundus, & creatura quælibet in illo contenta finitum in ſe pretium habet, quia etſi virtus efficientis cauſæ infinita ſit, eſt tamen effectibus illis prorſus extrinſeca. At vero perſonæ dignitas eſt ratio intrinſeca merito, quoniam ipſa perſona eſt, quæ pretium exhibet, quæ ſacrificium offert, quæ oblatæ rei dominio ac poteſtate potitur.

Objicies 3. Chriſtus per mortem crucis exaltationem nominis ſui promeruit, ut ait Apoſtolus ad Philip. c. 2. Quæ quidem gloria ſummum ac ſufficiens præmium illi fuit. Nihil ergo pro nobis in paſſione ſua de condigno potuit promereri.

Reſp. quod cum Chriſti ſatisfactio infiniti valoris extiterit, potuit ille pro nobis ob valorem pretii facere ſatis juſtitiæ, & ob meritum obedientiæ exaltationem ſui nominis obtinere. Unde Apoſtolus qui ad Philip. c. 2. exaltationem nominis Jeſu docuit præmium eſſe humilitatis & obedientiæ, docuit etiam ad

Epheſ.

Epheſ. 1. v. 7. nos habere *redemptionem per ſanguinem ejus, remiſſionem peccatorum, ſecundum divitias gratiæ ejus.*

Poſtremo ſi quis interroget, cur Chriſtus tot acerbos cruciatus, mortemque tam diram perferre voluerit, cum quamlibet ſatisfactoriam ejus actionem infinitum valorem continuiſſe dicatur. Reſpondebimus, quod etſi unica pretioſi ſanguinis gutta lytrum ſufficiens fuerit redemptionis humanæ; non tamen dicendum eſt, Chriſtum tot cruciatus, & acerbiſſimam mortem inutiliter pertuliſſe. Oſtendere enim ille voluit peccati gravitatem, rigoremque divinæ juſtitiæ, ac ſimul ingentem erga humanum genus amorem. Præbuit præterea invictæ patientiæ, humilitatis, ac charitatis exemplum, tantaque pro nobis pati dignatus eſt, ut ſequamur veſtigia ejus. Tum per ſalutiferum Crucis lignum ſuperare voluit infenſiſſimum humani generis hoſtem, qui per lethiferum interdictæ arboris lignum protoparentem deceperat ſibique ſubdiderat. Voluit denique mortem *ſtipendium peccati*, ut dicitur ab Apoſtolo ad Rom. 6. v. 23., moriendo deſtruere, æternamque vitam iis qui morti ejus complantati fuerint, elargiri. Lege S. Bonaventuram in 3. diſt. 20. art. 1. q. 5.

Ergo licet unus vel alter Chriſti actus ad completam ſatisfactionem perfecte ſufficeret, voluit tamen Redemptor noſter eos omnes, uſque ad mortem, per modum unius integri pretii ad redimendum hominem ordinare. Multiplicari autem ejuſcemodi actus omnino nil vetuit, quia non entitativam, & phyſicam, ſed æſtimabilem, & moralem dumtaxat infinitatem habebant.

CAPUT III.

An pura creatura poſſit Deo ſatisfacere de condigno?

EX iis quæ in priori capite diximus, ſatis evidenter apparet, quod nulla creatura Deo hypoſtatice non unita ſatisfacere poſſit ad rigoroſas juſtitiæ leges; bona enim quæ in nobis ſunt, non ſunt noſtra, ſed Dei, eidemque omni ſpectata ratione debentur. Hic vero ſupereſt, ut de quæſtione illa paulo fuſius differamus, an nempe poſſit homo, vel Angelus taiem Deo ſatisfactionem exhibere, quæ ſit condigna, Deoque tantum honoris impendat, quantum injuriæ eidem intulit peccati alicujus iniquitas. Quidam enim Scholæ Theologi arbitrantur, potuiſſe rationalem aliquam creaturam gratia exornatam Deo ſatisfacere de condigno, ſecundum extraordinariam diſpoſitionem, & de potentia, ut inquiunt, abſoluta.

Propoſitio. Nulla creatura, etſi gratia ac meritis exornata, unquam poteſt pro mortali peccato condigne Deo ſatisfacere.

Probatur. Et quamvis hac de re non tam aperte loqui Scriptura videatur, huc tamen id facit, quod habetur in Pſalmo 48. v. 8. & 9. *Frater non redimit, redimet homo: non dabit Deo placationem ſuam, & pretium redemptionis animæ ſuæ.* Quem locum ita Baſilius exponit:

Qui

Qui ne pro ſuis quidem peccatis Deo queat placulare ſacrificium offerre, quomodo poterit id pro alio efficere? Quid rurſus tanti pretii in hoc ſæculo poſſederit, ut id cum anima, quæ pretioſa eſt natura, idonee poſſit commutare, ſiquidem ad Creatoris imaginem facta eſt? Ac deinceps adjungit: *Neque igitur fratrem in redemptionem quærit, ſed unum aliquem, qui noſtram excedat naturam: neque hominem nudum, ſed hominem Deum Jeſum Chriſtum, qui ſolus pro nobis omnibus Deo dare poteſt placationem.* In hunc quoque Pſalmum legendus eſt Auguſtinus ſermone 1. n. 8.

Sed & Patres alios hoc idem non obſcure tradidiſſe cenſemus. Scribit namque Cyrillus Alex. in epiſt. 1. ad Valerianum Epiſcopum: *Quo pacto unus pro omnibus pretium exolverit, ſi illa paſſio puri cujuſpiam hominis fuiſſe putatur?*

S. Leo ſerm. 1. de Nativitate: *Niſi eſſet Deus, non afferret remedium: niſi eſſet homo, non præberet exemplum.*

Fulgentius in lib. de Incarnatione & gratia c. 4. *Nullatenus humana natura ad auferendum peccatum mundi ſufficiens, atque idonea fieret, niſi in unionem Verbi Dei, non naturali confuſione, ſed ſolum perſonali unitate tranſiret.*

Tandem Anſelmus in lib. 2. *Cur Deus homo* c. 6. ait: *Hanc ſatisfactionem non poteſt facere niſi Deus, nec debet niſi homo, neceſſe eſt ut eam faciat Deus homo.* Ex quibus profecto conſequitur, quod cum nulla ſimplex creatura ſit Deus & homo, nulla etiam poſſit Deo condignam ſatisfactionem pro ſuo vel pro alieno mortali peccato perſolvere; quæcunque tandem excogitetur hypotheſis.

Probatur inſuper propoſitio iſthæc ex ratione, quam ſuggerit S. Thomas in p. 3. q. 1. a. 2. ad 2. *Peccatum contra Deum commiſſum quandam infinitatem habet ex infinitate divinæ Majeſtatis; tanto enim offenſa eſt gravior, quanto major eſt ille, in quem delinquitur. Unde oportuit ad condignam ſatisfactionem, ut actus ſatisfacientis haberet efficaciam infinitam, utpote Dei & hominis exiſtens.* Recole quæ in priori capite dicta ſunt.

Et ſane quidquid de illa quæſtione dicatur, an peccatum mortale ſit ſimpliciter & intrinſecus infinitum in ratione moralis offenſæ; negandum omnino non eſt, quod illud ex infinita Dei Majeſtate quam graviter lædit, infinitam quandam contrahat gravitatem, extrinſecus ſaltem & objective loquendo; quo enim eſt major perſonæ præſtantia, eo majorem ipſi reverentiam exhibere debemus. Contra vero ſatisfactorii operis valor ex ipſa ſatisfaciente perſona moraliter æſtimatur. Unde Philoſophus in 5. Moralium c. 5. notat, jus talionis locum non habere, ubi eſt inæqualitas perſonarum; ait enim: *Si quis Magiſtratum gerens alterum percuſſerit, non eſt repercutiendus: ſi quis vero eum qui Magiſtratum gerit, verberaverit, non modo reverberandus eſt, ſed etiam ſupplicio afficiendus.* Nunquam ergo ſatisfactorius valor ſimplicis creaturæ, quavis gratia affluenter ornatæ, tantus eſſe poteſt, quantæ gravitatis extitit offenſa Dei, qui univerſum creaturarum ordinem extra proportionem omnem & in infinitum excedit. Lege S. Bonaventuram in 3. d. 20. a. 1. q. 3. & 4.

Poſtremo de creatura obſtricta peccato ſpecialis & evidens ratio urget, quod Deo placere, & a pec-

a peccato resurgere, & de condigno satisfacere omnino non possit, qui Dei inimicus est iramque meretur. Unde Augustinus tract. 4. in epist. 1. Joan. c. 3. v. 5. de Christo scribit: *In quo non est peccatum, ipse venit auferre peccatum. Nam si esset & in illo peccatum, auferendum esset illi, non ipse auferret.* Hinc demum Scriptura testatur, idcirco nos a Christo fuisse redemptos, quod iniquitatem ille non fecerit, & peccatum in ipso non fuerit, neque offerendi pro delictis suis necessitatem habuerit.

Objicies 1. Ille potest Deo condigne satisfacere, qui tantum reddere Deo potest, quantum eidem abstulit per peccatum: atqui *simplex* homo actum perfectæ contritionis eliciens tantum Deo reddit, quantum per peccatum abstulerat. Sicut enim peccando se ad commutabilia bona converterat, ultimumque finem in creatura statuerat; ita postmodum se convertit ad Deum, & in eo uti in ultimo fine quiescit.

Resp. concedo majorem, & distinguo min. tantum Deo reddit, si rei ratio habeatur, concedo; si habeatur ratio personæ, nego. Duplex enim satisfactio distinguenda est: altera respicit rem ablatam, quæ proprie restitutio dicitur; altera ad illatam refertur injuriam, & hæc proprie satisfactio nominatur. Hinc prior illa æstimatur ex rei pretio, hæc vero pensatur ex dignitate personæ. Neque enim tantum refert expendere, an furatus sit quispiam obolum vel aureum, & an colaphum vel vulnus inflixerit; sed etiam, an damnum illatum sit diviti vel pauperi, & an plaga inflicta sit principi vel plebejo; & quid discriminis intercedat inter eum qui ignominiam patitur, & qui eandem

dem inurit. Quare restituta re quæ ablata fuerat, obolo nempe vel aureo, & alapa impacta pro alapa, & vulnere inflicto pro vulnere, persolvendum est etiam, ni locum habeat hostimentum & talio, debitum contumeliæ, aut loris, aut triremi, aut suspendio, idque facta offendentis offensique comparatione: nam si servus conservum percusserit, eadem saltem pœna multabitur; si quendam procerum, exilio; si regem, furca. Injuriam vero rerum omnium Conditori irrogatam quæ pœna multabit?

Obsequium igitur quod homo Deo exhibet, ipsum amando, reddit quidem Deo quod ad rem spectat ablatam; quia tamen non id reddit per tantæ æstimationis actum, quantæ fuit gravitatis injuria; idcirco per illud homo ad Deum se convertens non satisfacit de condigno. Sicuti nempe plebejus illatam principi injuriam non compensat, cum ei postea obsequium exhibet, veniamque precatur.

Instabis. Potest homo justus æternam vitam de condigno mereri: ergo similiter potest pro peccati injuria satisfacere de condigno.

Resp. quod plus ad satisfactionem, quam ad meritum requiratur. In merito enim proportio rei ad rem, sive actus meritorii ad præmium, dumtaxat attenditur; quæ quidem proportio charitatem inter & vitam æternam habetur; & ideo hanc homo justus de condigno meretur. In satisfactione vero potissimum est spectanda proportio inter eum qui satisfacit, eumque qui est perpessus injuriam: at Deum inter, & purum hominem ejuscemodi proportio versari omnino non potest.

Præterea dispar est ratio satisfactionis, & me-

meriti. In merito enim intervenit gratiosa Dei promissio, qua liberaliter se obstrinxit, ut sanctis Justorum operibus vitam largiretur æternam; neque enim opera illa in seipsis inspecta tanti sunt pretii, ut tam amplum præmium mereantur. Unde scribit Apostolus ad Rom. 8. v. 18. *Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis.* Verum in satisfactione condigna nihil ex gratia aut ex liberalitate remittitur, sed totum debitum accurate ac rigorose persolvitur; ita uempe ut satisfactio peccati offensam prorsus adæquet.

Urgebis. Quod in se ac simpliciter finitum est, potest per finitum aliud adæquari: atqui esto peccatum infinitum sit objective, in se tamen ac simpliciter est finitum: ergo per finitam satisfactionem potest adæquari; præsertim quia etiam charitatis actus per quos satisfactio exercetur, Deum respiciunt, objectum scilicet infinitum.

Resp. distinguo maj. si intra eundem ordinem contineantur, concedo: si diversi sint ordinis, nego. Sic *ex. gra.* linea, quantumlibet protendatur, adæquari quidem poterit ab alia linea, nunquam tamen poterit linea ulla superficiem adæquare; sicuti neque homo unquam potest Angelicæ naturæ perfectionem attingere, neque accidens ullum ad substantialem ordinem pervenire. Modo satisfactio & peccatum in diverso sunt ordine; nam illius valor ex dignitate satisfacientis personæ pensatur, peccati vero gravitas ex dignitate personæ offensæ repetitur; & quia Deum inter & creaturam infinita distantia est, idcirco nisi divina acceptatio intercesserit, nunquam poterit creatura

tura condignam ſatisfactionem Deo perſolvere. Etſi enim tam peccatum, quam ſatisfactio ad infinitum referantur objectum; peccati tamen gravitas quamcumque ſimplicis creaturæ ſatisfactionem excedit.

At dices. Si a dignitate perſonæ offenſæ deſumenda foret turpitudo peccati, neque diſcrimen inter peccatum veniale & mortale ſubſiſteret, neque unum mortale alterius fœditatem excederet, neque pro minima culpa ſatisfacere de condigno poſſemus: atqui duæ priores aſſertiones hæreſim ſapiunt, tertia vero a pluribus Scholæ Doctoribus improbatur.

Reſp. quod peccatum, cujus gravitas dignitati perſonæ offenſæ exacte reſpondet, eſt mortale dumtaxat, per quod homo non ſine contemptu Dei mandata traſgreditur, ac principalem ſibi finem in creatura conſtituit, magis hanc æſtimando, quam Deum; uti cum S. Bonaventura notavimus in lib. 13. c. 2. ad 5. object. Præterea quamvis mortalia omnia ſupremo Domino injuriam inferant, & ex hoc capite maximam habeant turpitudinem, æternaque pœna plectantur; ratione tamen violandi præcepta, & conſiderata cujuſcunque peccati materia, unum eſt altero gravius, quia majorem voluntatis perverſitatem includit, magiſque ab incommutabilis æquitatis lege recedit; ut diximus in lib. 13. c. 4. quæſt. 3. Denique cum in condigna ſatisfactione ſit attendenda proportio inter eum qui ſatisfacit, eumque cui ſatisfactio ipſa defertur; dicendum profecto videtur, quod præciſa Dei acceptatione nequeant Juſti vel pro veniali peccato ſatisfacere de condigno: ſicuti nempe vilis homuncio

cio ſi Regem vel leviter inhonoret, non ei de condigno ſatisfacit, honorem & obſequium impendendo. Ceterum veniale peccatum infinitam malitiam non includit, proindeque poteſt homo juxta quorundam opinionem pro ipſo ſatisfactionem exſolvere.

Objicies 2. Deus ita Adamum in Innocentiæ ſtatu tanquam morale caput generis humani conſtituit, ut ſi ſtetiſſet, juſtitia ad ejus poſteros dimanaſſet. Ergo ſimiliter poterat ipſe in hoc lapſæ naturæ ſtatu rationalem aliquam creaturam uti morale humani generis caput eligere, eidemque talem ac tantam gratiam elargiri, per quam poſſet pro omnium hominum peccatis ſatisfacere de condigno.

Reſp. concedo antecedens, & nego conſequentiam. Si enim Adam innocentiam cuſtodiſſet, juſtitiam utique ac gratiam tranſmiſiſſet ad poſteros; id tamen non ex ejus ſatisfactione vel merito contigiſſet, ſed ex pacto & ordinatione divina, per quam originalis juſtitia collata eſt Adæ tanquam donum totius humanæ naturæ. Repugnat autem, quod nunc ſimplex creatura Deo condignam, æqualem, perfectamque ſatisfactionem pro peccatis exhibeat; cum major ſit gravitas offenſæ Dei, quam valor bonorum operum cujuslibet creaturæ, quantavis gratia meritoque fulgentis. Hinc licet opinentur aliqui, poſſe purum hominem gratia ſanctificante decoratum peccatorum remiſſionem aliis impetrare, & de condigno mereri; cum ea condignitas non ex operum valore, ſed ex Dei libera promiſſione, munificentia, ac miſericordia proveniret, accurata & rigoroſa ſatisfactio dicenda non eſſet.

Con-

Concludamus igitur cum S. Bonaventura in 3. d. 20. a. 1. q. 3. *Satisfactio debet proportionari offensæ, & injuriæ: sed tanta est offensa & injuria, quantus est ille, cui infertur: cum ergo Deus sit infinitus, offensa & injuria Dei est infinita: sed nulla creatura, nec ejus operatio est infinita: ergo nulla pura creatura potest satisfacere pro offensa, & injuria Deo illata: sed talis fuit injuria Adæ, & posteritatis suæ; quia Deum contempsit: ergo &c.* Ex quo sane deducitur, quod neque pro se, neque pro alio possit creatura quælibet condignam Deo satisfactionem offerre, qua vel originalis, vel mortalis cujuscunque peccati veniam mereatur.

CA-

CAPUT IV.

Ad omnes ſinguloſque homines copioſam Chriſti redemptionem pertinere demonſtrat.

JAnſenius Calvinum ſequens in lib. 3. de gratia Chriſti c. 21. eſto concedat, Chriſti paſſionem & mortem ad redemptionem omnium hominum pretium fuiſſe ſufficiens; negat tamen, illum *ex animo & intentione* conferendæ ſalutis ſe redemptionem dediſſe, vel propitiatorem eſſe pro omnibus, ſed pro ſuis dumtaxat Electis. Addit præterea in fine ejuſdem capitis: *Illa extenſio tam vaga modernorum Scriptorum non alio ex capite, quam ex iſta generali, & indifferenti voluntate Dei erga ſalutem omnium, & ex illa ſufficientis gratiæ omnibus conferendæ præparatione fluxit: quorum utrumque Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, & antiqua Eccleſia velut machinam a Semipelagianis introductam repudiavit.*

Propoſitio. Chriſtus pro omnibus ſinguliſque hominibus mortem oppetiit.

Probatur. Apoſtolus in 1. ad Tim. c. 2. vv. 4. & ſeq. ait: *Qui omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Unus enim Deus, unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus Jeſus: qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus.* Sicut ergo Deus non ſolos Ele-

Electos, ſed omnes ſinguloſque homines antecedente voluntate ſinceroque animo vult ſalvare, ut in lib. 5. c. 7. dictum eſt; ita & Chriſtus ex animo & intentione conferendæ ſalutis ſeipſum dedit, ut omnes ſinguloſque redimeret. Hinc in eadem epiſtola Paulus c. 4. v. 10. ſcribit: *Speramus in Deum vivum, qui eſt Salvator omnium hominum, maxime fidelium.*

Legitur etiam in 2. ad Cor. c. 5. v. 14. & 15. *Charitas enim Chriſti urget nos: æſtimantes hoc, quoniam ſi unus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt: & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus: ut & qui vivunt, jam non ſibi vivant, ſed ei, qui pro ipſis mortuus eſt, & reſurrexit.* Sicut ergo non ad Electorum tantum, ſed ad omnium ſalutem procurandam ex Chriſti charitate Paulus urgebatur; ita & Chriſtus ex voluntate intimoque affectu pro omnibus ſinguliſque hominibus mortem oppetiit; & ſicuti omnes, nullo prorſus excepto, mortui ſunt peccato; ita pro omnibus, nullo prorſus excepto, Chriſtus eſt mortuus, ex ſuæ voluntatis affectu, & flagrantiſſima charitate.

Denique Joan. 1. v. 29. Baptiſta de Chriſto ait: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Rom. 8. v. 32. ſcribit Apoſtolus: *Qui proprio Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et in epiſt. 1. Joan. c. 2. v. 1. & 2. *Advocatum habemus apud Patrem, Jeſum Chriſtum juſtum, & ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: non pro noſtris autem tantum, ſed etiam pro totius mundi.*

Aperta eſt etiam hac in re SS. Patrum doctrina. S. Ambroſius tum alibi paſſim, tum in Pſal. 118. ſerm. 8. §. 57. ait: *Myſticus Sol ille juſtitiæ, omni-*

nibus ortus est, omnibus venit, omnibus passus est, & omnibus resurrexit: ideo autem passus est, ut tolleret peccatum mundi. Si quis autem non credit in Christum, generali beneficio ipse se fraudat: ut si quis clausis fenestris radios solis excludat, non ideo sol non ortus est omnibus, quia calore ejus se ipse fraudavit: sed quod solis est, prærogativam suam servat: quod imprudentis est, communis a se gratiam lucis excludit. Super omnes pluvia est, & hoc divinæ misericordiæ deputatur, quia pluit super justos, & injustos.

Hieronymus in c. 63. Isaiæ: *Nec statim in culpa est, si plures credere noluerunt: sed voluntas venientis hæc fuit, ut omnes crederent, & salvarentur*, Et Comment. in 2. ad Cor. c. 5. ad ea verba: *Christus pro omnibus mortuus est*, ait: *Solus inventus est, qui ut immaculata hostia pro omnibus, qui erant in peccatis mortui, offerretur.*

Sed de Augustini mente paulo nunc fusius disserendum est, quem ut ad partes suas invitum traherent Janseniani, omnem ingenii aciem intenderunt. Sanctus itaque Doctor in lib. 6. contra Jul. c. 9. ait: *In illo uno mortui sunt omnes, ut moreretur alius unus pro omnibus*. In lib. 2. de nupt. & concup. c. 33. *Parvuli quomodo rei non sunt, pro quibus Christus mortuus est.* Et 20. de C. D. c. 6. *Omnes itaque mortui sunt in peccatis, nemine prorsus excepto, sive originalibus, sive etiam voluntate additis, vel ignorando, vel sciendo, nec faciendo quod justum est. Et pro omnibus mortuis vivus mortuus est unus, ideſt, nullum habens omnino peccatum.*

Præterea tract. 12. in Joan. scribit Augustinus: *Quantum in Medico est sanare venit ægrotum.*

Ipſe

Ipſe ſe interimit qui præcepta Medici obſervare non vult. Venit Salvator in Mundum. Quare Salvator dictus eſt mundi, niſi ut ſalvet mundum, non ut judicet mundum? Salvari non vis ab ipſo? Ex te judicaberis.

Poſtremo in lib. de catechiz. rud. c. 26. *A quo interitu, hoc eſt, pœnis ſempiternis Deus miſericors volens homines liberare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ Creatoris ſui, miſit Unigenitum Filium ſuum.*

Et hæc quidem teſtimonia ſi diligenter expenderis, aperte percipies, Chriſtum etiam pro reprobis mortuum non eo tantum in ſenſu fuiſſe, quod ſufficiens pretium pro humani generis redemptione perſolverit; verum etiam, quod ipſe ex animo & intentione pro omnium ſalute pretium illud obtulerit; cum perditionis humanæ cauſam non aliam quam ipſam hominum voluntatem aſſignent. Hinc & in fidei Symbolo ita de Chriſto Catholica profitetur Eccleſia: *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlo, & incarnatus eſt, homo factus, paſſus, & mortuus.*

Merito itaque quintam hanc Janſenii propoſitionem: *Semipelagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*, uti *falſam, temerariam, ſcandalolam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem, & hæreticam*, Romani Pontifices proſcripſerunt.

Objicies 1. Paſſim in Scripturis aſſeritur, Chriſtum non pro omnibus, ſed pro multis ſuum ſanguinem effudiſſe; ita Matth. 20. v. 28.

28. Christus ipse ait: *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.* Et ibidem c. 26. v. 28. *Hic est enim sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Denique Paulus ad Hebr. 9. v. 28. scribit: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata.* Dicendum ergo videtur, quod pro solis Electis mortem obierit.

Resp. quod Scriptura citatis in locis multorum nomine omnes intelligat, sicut ex dictis eruitur in lib. 13. c. 6. ad 3. argum. Ceterum præfati textus exponi possunt de efficaci & consequente ejusdem mortis applicatione, quæ ad solos spectat Electos; quin tamen generali omnium Redemptioni præjudicium inferatur, & quin negetur sincera Christi voluntas circa omnium salutem, & sufficiens mortis ejus oblatio, quam alibi sæpe Scriptura commemorat. Et hoc in sensu Catechismus Romanus p. 2. c. 4. n. 24. scribit, recte factum, ut non diceretur, Christum pro universis sanguinem effudisse; *cum hoc loco tantummodo de fructibus passionis sermo esset, quæ salutis fructum electis solum attulit.* Atque hæc quidem responsio plura alia loca, quæ a Jansenianis objiciuntur, exponit, & cum adductis supra textibus expedite conciliat.

Objicies 2. Christus est mortuus pro iis solummodo, pro quibus oravit: atqui solum pro prædestinatis oravit: ait enim Joan. 17. v. 9. *Non pro mundo rogo, sed pro his, quos dedisti mihi: quia tui sunt.*

Resp. distinguo min. oratione speciali, quæ ex efficaci salutis amore procedit, concedo;

do; oratione generali, quæ ex antecedente salutis omnium intentione descendit, nego min. Sicuti Deus voluntate conditionata & antecedente vult omnes homines salvos fieri, omnibusque confert media quæ ad salutem vere proprieque sufficiunt; voluntate autem consequente & penitus absoluta, per quam efficacia media conceduntur, salvare vult dumtaxat Electos: ita similiter Christus, cujus petitio divinæ est voluntati conformis, speciali affectu pro reprobis non oravit; unde neque efficacia ad salutem media eisdem obtinuit: sincero tamen oravit affectu, sicut & pro illis est mortuus, ut sufficientia salutis media impetraret; uti patet ex dictis in lib. 17. c. 4. & 5. Hinc objecto in capite idem Christus ait v. 20. *Non pro eis autem rogo tantum, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* Et v. 21. *Ut credat mundus, quia tu me misisti.* Ait etiam Lucæ 23. v. 34. *Pater, dimitte illis: non enim sciunt, quid faciunt.* Ubi pro tortoribus suis orat, quorum profecto nonnulli non erant electi. Denique scribit Joannes in epist. 1. c. 2. v. 1. & 2. *Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum justum: & ipse est propitiatio pro peccatis nostris: non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi.*

Merito igitur Doctor Angel. in laudatum cap. 17. Joan. ait: *Christus, quantum est de se, pro omnibus oratione generali oravit, quia oratio sua de se efficax est, ut valeat toti mundo; sed tamen non in omnibus sortitur effectum, nisi in Sanctis, & Electis Dei, & hoc propter impedimentum mundanorum.* Et rationem assignans, cur esto pro omnibus Christus oraverit, non ta-

tamen pro omnibus fuerit exauditus, ait, quod *Orationes generales minus exaudiuntur*.

Inſtabis. Auguſtinus tract. 110. in Joan. inquit: *Eſt mundus, de quo ſcriptum eſt: Ne cum hoc mundo damnemur. Pro iſto mundo non rogat: neque enim quo ſit prædeſtinatus, ignorat. Et eſt mundus, de quo ſcriptum eſt: Neque enim venit Filius hominis, ut judicet mundum, ſed ut ſalvetur mundus per ipſum . . . . . Pro iſto mundo rogat dicens, ut mundus credat, quia tu me miſiſti*. Chriſtus ergo pro reprobis nullo prorſus modo rogavit.

Reſp. non obſcuram eſſe Auguſtini ſententiam, quod Chriſtus pro reprobis etiam ſincera voluntate rogaverit, Scribit enim tract. 1. in epiſt. Joan. quod Chriſtus in cruce pendens ait: *Ignoſce illis, quia neſciunt quid faciunt. Mortem ſempiternam ab illis expellebat prece miſericordiſſima, & potentia præſtantiſſima. Multi ex eis crediderunt, & dimiſſus eſt eis fuſus ſanguis Chriſti*. Et in ſerm. 382. c. 2. *Quando ergo in cruce pendens orabat, videbat, & prævidebat omnes inimicos; ſed multos ex iis futuros amicos prævidebat; & ideo omnibus veniam poſtulabat. Illi ſæviebant, & ille orabat: illi dicebant Pilato, Crucifige: ille clamabat, Pater ignoſce*. Alibi etiam S. Doctor mundi vocabulo omnes homines intelligit, & pro omnibus ſincera voluntate Chriſtum mortuum fuiſſe pronunciat; ut in ſupracitato tract. 12. in Joannem, & in lib. 2. de Symbolo ad Catechum. c. 5. Idcirco igitur objecto in loco negat Chriſtum pro mundanis hominibus reprobiſque rogaſſe, quia de ſpeciali oratione textum exponit, uti facile legenti patebit.

At dices . S. Auguſtinus in lib. 21. de C. c. 24. ait : *Si de aliquibus ita certa eſſet* Eccleſia, *ut qui ſint illi etiam noſſet, qui licet in hac vita adhuc ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in ignem æternum ire cum Diabolo, tam pro eis non oraret, quam nec pro ipſo .* Atqui , ſcribit Janſenius in lib. 3. de gra. Chriſti c. 21., Chriſtus *ſcivit quo quiſque jam ab æterno prædeſtinatus erat : ſcivit hoc decretum neque ullius pretii oblatione mutandum eſſe , nec ſeipſum velle mutare :* Ergo *juxta SS. Doctorem non magis Patrem pro æterna liberatione ipſorum , quam pro diaboli deprecatus eſt.*

Reſp. quod hac in re non idem de Chriſto, & de Eccleſia judicium ſit proferendum . Ille enim eſt Caput , Redemptor, Reconciliator, ac Mediator Deum inter & homines ; adeoque licet certiſſime ſciret, qui reprobi eſſent per immutabile Dei decretum ; adhuc tamen ad ipſum pertinebat reprobis etiam hominibus obtinere ſufficientia auxilia , per quæ poſſent ad æternam pervenire ſalutem . At Eccleſia non eſt caput, ſed corpus, non redemptrix , ſed redempta & reconciliata per Chriſtum , qui unus homo eſt Dei & hominum Mediator : cum ergo illa talibus ſit deſtituta muneribus , ad ipſam non pertinet orare pro reprobis , quos ex divina revelatione certiſſime noſſet eſſe damnandos: nunc autem pro ſingulis orat , quia nullius in particulari damnationem futuram certo cognoſcens , optat ſperatque, quod Redemptionis fructus omnibus applicetur.

Ex dictis apparet , quod Chriſtus etſi pro omnibus ſincera voluntate ſit mortuus , ſpeciali tamen effectu eſt mortuus pro quibuſdam , quibus

bus fidei, ſanctitatis, & maxime finalis perſeverantiæ, beneficia conferuntur. Atque hoc in ſenſu Scripturæ & Patres aliquando loquuntur; ſicuti dum Joan. 3. v. 14. ait Chriſtus: *Exaltari oportet Filium hominis, ut omnis, qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* Et Joan. 10. v. 15. *Animam meam pono pro ovibus meis.* Scribit etiam Apoſtolus ad Epheſ. 5. v. 25. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit pro ea, ut illam ſanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ &c.*

Hac inſuper ratione Auguſtinus ad ſolos Electos Chriſti redemptionem pertinere non ſemel aſſeruit; uti dum in lib. 1. de adulter. conjug. c. 15. ait: *Sicut omnis, qui Chriſti ſanguine redemptus eſt, homo eſt: non tamen omnis, qui homo eſt, etiam ſanguine Chriſti redemptus eſt.* Et in ſerm. 155. de verbis Apoſtoli c. 8. *Miſit Deus Filium ſuum propter præſcitos & prædeſtinatos vocandos, juſtificandos, glorificandos.* Denique in epiſt. 169. ad Evodium c. 1. *Non perit unus ex illis, pro quibus mortuus eſt.* Hæc igitur pluraque alia teſtimonia quæ idem affirmare videntur, oſtendunt, Chriſtum non æquali affectu, benevolentia, ac dilectione pro omnibus ſanguinem effudiſſe; nam etſi *rectiſſime dicatur pro totius mundi redemptione crucifixus: poteſt tamen dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipſius profuit:* inquit S. Proſper ad object. 9. Gallorum.

CAPUT V.

In quo de Chriſto merito agitur.

QUæ ad Chriſti meritum pertinent, poſtremo hic loco breviter expendemus. Et primo ſtatuimus, quod mereri ille potuerit, ac reipſa meruerit; nulla enim ei conditio defuit, quæ ad merendum exigitur. Non quidem libertas intrinſeca: nam *oblatus eſt, quia ipſe voluit*, Iſaiæ 53. v. 7. Non vitæ ſanctitas, & gratiæ plenitudo, ut patet ex Iſaiæ c. 11. Non dignitas operis; cum factus obediens uſque ad mortem crucis, magno pretio, ſuo ſcilicet ſanguine, nos redemerit; uti paſſim Scripturæ teſtantur. Neque defuit ſtatus viæ; cum idcirco mortalem carnem Chriſtus induerit, ut per hujuſce vitæ paſſiones in gloriam ſuam intraret; ut legitur Lucæ 24. v. 26. Adfuit tandem divina promiſſio, ſicut aperte colligitur ex Iſ. 53. v. 10. *Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longævum, & voluntas Domini in manu ejus dirigetur. Pro eo quod laboravit anima ejus, videbit, & ſaturabitur.*

Chriſti præterea meritum a primo conceptionis ſuæ momento ſumpſit exordium, quando divinæ voluntati obtemperans ſeipſum hoſtiam obtulit pro peccato. Unde Paulus ad Hebr. 10. v. 5. ſcribit: *Ingrediens mundum dicit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti: corpus autem aptaſti mihi: Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt.*

runt. Tunc dixi: Ecce venio: in capite libri ſcriptum eſt de me: ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Hinc & Jer. 31. v. 22. legitur: *Creavit Dominus novum ſuper terram: Femina circumdabit virum.* Chriſtus enim ab ipſa conceptione vir dicitur & homo perfectus, non corporis robore vel ætate, ſed animi vigore ac perfectione, quæ in operatione intellectus & voluntatis, ac in libertatis uſu conſiſtit. Denique Chriſti anima per lumen gloriæ ſtatim vidit Dei eſſentiam; ergo & per virtutem gratiæ ſtatim a conceptione promeruit.

At dices. Prius eſt eſſe, quam agere: atqui meritum eſt actio: ergo Chriſti anima prius extitit, quam promeruit; adeoque mereri non potuit a primo conceptionis inſtanti.

Deinde meritum a voluntate deliberativa procedit: atqui deliberatio non ſine temporis ſucceſſione perficitur: ergo &c.

Reſp. ad 1. cum S. Bonaventura in 3. d. 18. a. 1. q. 1. „ quod illud habet veritatem, ſi intelligatur de prioritate quantum ad ordinem „ naturæ; ſi autem intelligatur de prioritate „ quantum ad durationem, non habet veritatem, ſecundum quod expreſſe dicit Auguſtinus 5. ſuper Gen. ad lit. ubi dicit, quod in „ luce corporali eſſe non præcedit agere; & in „ Angelis, de quibus dicit, quod in primo „ inſtanti creationis ſuæ eas res cognoverunt, „ quæ ſimul tamen cum eis in eſſe prodierunt. „ Et in 6. de Trin. ait, quod ſi ignis eſſet „ æternus, ſplendor ab igne egrediens eſſet „ æternus.

Ad alterum reſpondet idem S. Doctor, „ quod „ quamvis ſecundum proceſſum naturæ delibe-

„ ratio indigeat ſucceſſione, & tempore; ta-
„ men ſecundum plenitudinem divinæ gratiæ,
„ & gloriæ poſſibile eſt ipſi animæ in inſtanti
„ diſcernere, quod alias non poſſet facere ſine
„ continuo & tempore. Et ſic per Deiformi-
„ tatem gloriæ intellectus poteſt ſimul plura
„ intelligere; quamvis per naturam non intel-
„ ligat niſi unum ſolum ſimul & ſemel. Et
„ quia anima Chriſti erat in plenitudine gra-
„ tiæ, & gloriæ; hinc eſt, quod non indige-
„ bat mora temporis ad diſcernendum, quid
„ eligendum, quid vitandum, quid amandum,
„ quid odiendum.

Notandum hic quoque eſt, meruiſſe Chriſtum per actiones dumtaxat humanas, non vero per eas quæ divinitati ſunt propriæ. Ut enim mereri quis poſſit, ſuperiorem habere debet, a quo meriti mercedem accipiat: atqui Chriſtus ſuperiorem habuit in actionibus, quæ humanæ tantum naturæ conveniunt; ergo in his dumtaxat meruit, in divinis autem mereri non potuit; ſicuti ſcilicet neque Pater, neque Spiritus Sanctus vere proprieque merentur.

Præterea cum nulla in Chriſto fuerit actio libera, quæ elicita aut imperata a charitate non fuerit; tradunt idcirco Theologi, Chriſtum in qualibet actione meruiſſe, quæ libere ex ejus humana voluntate manabat.

Cum inſuper tantam gratiæ plenitudinem ab initio Chriſtus acceperit, qua major illi conferri non potuit, proindeque nec charitas, nec ulla virtus alia in eo potuerit augeri; conſequens profecto eſt, ipſum neque in merito proficere potuiſſe. Unde Gregorius hom. 6. in Ezech. ait: *Non habuit omnino Chriſtus juxta ani-*

animæ meritum, quo potuiſſet proficere. Æqualitas ergo gratiæ æqualitatem meriti omnibus Chriſti operibus tribuebat; eademque merendi, ac meriti virtus extitit: quamvis quoad meritorum numerum ille profecerit, prout opera alia aliis, & quidem majora, ſucceſſu temporis accedebant. Hac de re legendi ſunt Magiſter Sent. & S. Bonaventura in 3. d. 18.

Quærunt hoc in loco Theologi, quid ſibi Chriſtus nobiſque meruerit. Id ut planum fiat, aſſerimus 1. quod Chriſti humanitas ſui cum divino Verbo unionem nulla ratione promeruit. Neque enim mereri potuit ejuſcemodi unionem per opera, quæ illam *tempore* præceſſerunt; nam uti contra Origenem, Photinum, alioſque hæreticos profitetur Eccleſia, Chriſti anima ante incarnationem non præextitit, ejuſque humanitas eodem reali ſuæ conceptionis inſtanti Verbo fuit hypoſtatice copulata. Lege S. Auguſtinum in lib. de prædeſt. SS. c. 15.

Neque promeruit per opera quæ unionem illam præceſſere *natura*; prius enim humanitas ſubſiſtentiæ uniri concipitur, quam operationes ullas elicere; cum uti Schola loquitur, ſubſiſtentia ſit modus ſubſtantialiter complens, terminans, perficienſque naturam, cui magis intrinſeca eſt, quam quælibet operatio, quæ accidentalem rerum ordinem non excedit.

Deinde in priori illo ſigno naturæ, in quo humanitas non adhuc intelligitur unita Verbo, intelligi in Chriſto nequit gratiæ donum, a quo meritum omne procedit; cum non niſi intuitu hypoſtaticæ unionis jam peractæ Chriſtus omne donum acceperit: proindeque gratia, & meritum unionem ſubſecuta eſt, non vero præceſſit.

Ne-

Neque poſtremo dicendum eſt, meruiſſe Chriſtum per opera conſequentia unionem. Ejuſcemodi enim opera Incarnationem factam jam eſſe ſupponunt, ſuntque ejus effectus: non ergo poſſunt unionem hypoſtaticam promereri; alioquin effectus cauſam præcederet, & gratia quæ eſt principium meriti, præviſi operis merces eſſet & præmium. Recte itaque S. Thomas in 3. p. q. 2. a. 11. ait: *Gratia non poteſt cadere ſub meritum, quia eſt merendi principium: unde multo minus Incarnatio cadit ſub merito, quæ eſt principium gratiæ.*

At dices. In Pſalmo 44. v. 8. legitur: *Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Hac autem unctione hypoſtaticam unionem indicare ſcribit Apoſtolus ad Hebr. 1. v. 9. Ergo propter meritum dilectionis juſtitiæ, Chriſti humanitas ad hypoſtaticam unionem aſſumpta fuit.

Præterea Apoc. 5. v. 12. dicitur: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem.* Quod ſi Chriſtus dignus fuit divinitatem accipere; ergo ante unionem meritum aliquod habuit, per quod dignus evaderet.

Reſp. ad 1. illius teſtimonii ſenſum eſſe, quod Chriſtus idcirco divinitate & gratia unctus fuerit, ut juſtitiam diligeret, & odio iniquitatem haberet. Unde Auguſtinus enarrat. in hunc Pſalmum ait: *Propterea unxit te, ut diligeres juſtitiam, & odires iniquitatem.* Ergo dilectio juſtitiæ non eſt meritoria unctionis cauſa, ſed finalis; & illud *propterea* non præteritum tempus reſpicit, ſed futurum. Denique

Hie-

Hieronymus in epiſt. 140. ad Principiam, aliique Interpretes per illam olei unctionem intelligunt gloriam ac dotes Chriſto in reſurrectione collatas, quas ſibi ipſum promeruiſſe concedimus.

Ad alterum reſpondemus, quod ibi divinitatis nomine non hypoſtatica unio, ſed divinitatis cognitio, ac confeſſio denotetur. Chriſtus enim quia pro ſalute mundi occiſus eſt, meruit, ut laudem virtutis, divinumque honorem ab omni creatura reciperet.

Dices ulterius: Prædeſtinati in executione per merita conſequuntur gloriam, ad quam fine meritorum præſcientia ſunt electi. Ergo ſimiliter potuit Chriſtus prædeſtinari gratis ad hypoſtaticam unionem, quam tamen in executione potuit per ſua opera promereri.

Reſp. quod cum agentis intentio prius ad finem, quam ad media dirigatur; idcirco poteſt homo prius a Deo ad gloriam prædeſtinari, quam ad merita futura per gratiam: neque repugnat, quod gloria in genere finis ſit cauſa meritorum, & in genere efficientis ſit eorundem meritorum effectus. At Incarnatio, ſive Deus-Homo non eſt finalis, ſed efficiens cauſa omnium ſuorum operum; adeoque nequit in intentione unio hypoſtatica prius a Deo ita decerni, ut poſtmodum in executione ſit obtinenda per merita; nequeunt enim prænoſci merita ante exiſtentiam perſonæ merentis: unde & ſupra notavimus, quod Incarnatio eſt etiam principium gratiæ, & gratia eſt principium meriti; adeoque & ipſa Incarnatio eſt meriti principium, quod ſub merito cadere omnino non poteſt.

Urgebis. Principium intellectionis, mens ſcili-

licet rationalis, cadit ſub intellectione : ergo & merendi principium , quale eſſe dicitur hypoſtatica unio, ſub merito cadere poteſt.

Reſp. quod rationalis mens ſub intellectione cadat ut objectum , quod jam ante ipſam intellectionem extare ſupponitur ; at hypoſtatica unio ſi ſub merito caderet, jam non eſſet meriti cauſa , ſed effectus , qui ante cauſam extare non poteſt.

Ex dictis infertur , quod Chriſtus neque primam gratiam actualem ſibi meruerit. Etſi enim unio hypoſtatica Chriſti actionibus meritum , uti prima origo , contulerit ; non tamen elicitæ illæ fuerunt , niſi ex motu ſupernaturalis auxilii , quo humana voluntas ejus proxime juvabatur : ergo prima actualis gratia fuit in Chriſto merendi principium, quod ſub merito venire non poteſt.

Præterea neque Chriſtus meruit beatificam viſionem , & ſanctitatis ornatum per habitualem gratiam, quæ unionem hypoſtaticam conſequuntur; non enim ſub merito cadunt , quæ alicui in primo conceptionis momento donantur.

Meruit ergo ſibi Chriſtus gloriam corporis , nominis exaltationem, cultum populorum, creaturarum omnium obſequium, dæmonum ſubjectionem , & Eccleſiæ ſuæ firmitatem , & incrementum. Hinc Lucæ 24. v. 26. legitur: *Nonne hæc oportuit pati Chriſtum , & ita intrare in gloriam ſuam?* Et ad Philip. 2. v. 8. *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem , mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum , & donavit illi nomen , quod eſt ſuper omne nomen : ut in nomine Jeſu omne genuflectatur , cæleſtium , terreſtrium , & infernorum ;*

& omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria est Dei Patris. Tandem Apostolus ad Hebr. 2. v. 9. & 10. scribit: *Videmus Jesum, propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum: ut gratia Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum per passionem consummare*. Nobis etiam ille promeruit peccatorum remissionem, & omnia gratiarum dona, quæ vel ante, vel post justificationem assequimur. Unde ad Ephes. 1. v. 3. Paulus de Deo Patre ait: *Qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo, sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti, & immaculati in conspectu ejus in charitate &c.*

At inquies. Ea omnia Christo debebantur ob hypostaticam unionem, & quia erat Dei filius naturalis; non ergo sub Christi merito cadere potuerunt.

Resp. cum Doctore Seraph. in 3. d. 18. a. 1. q. 2., quod tribus modis mereri contingit. „ Uno „ modo mereri est ex indebito facere debitum, „ sicut meretur quis in gratiæ infusione, & motu liberi arbitrii. Alio modo mereri est de „ debito facere magis debitum, sicut contingit „ de profectu in profectum, de virtute in virtem. Tertio modo mereri est de debito uno „ modo facere debitum alio modo, & de debito per habitum facere debitum per usum, „ & de debito per unum actum facere debitum „ per alium æque bonum. Omnibus his modis „ Christus meruit nobis. Meruit enim nobis „ gratiæ infusionem, meruit & gratiæ promotio-

„ tionem, meruit & bonorum operum multi-
„ plicationem. Sibi autem non meruit nisi ter-
„ tio modo tantum post concep ionem. Ipse
„ enim non potuit facere sibi de indebito de-
„ bitum, cum omni bono esset dignus. Non
„ potuit facere de debito magis debitum, cum
„ omni gratia ab ipsa conceptione esset plenus.
„ Sed quod erat debitum uno modo, fecit de-
„ bitum pluribus modis: & ita meruit secun-
„ dum tertium modum dicendi meritum so-
„ lum, non propter imperfectionem a parte
„ meriti, sed propter perfectionem a parte
„ merentis.

FINIS.

MAG 700603